



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**S. Kiliani Franciae Orientalis, Qvæ Et Franconia Dicitvr;  
Apostoli, Gesta, Varijs cum notationibus historicis,  
dogmaticis**


**Serarius, Nikolaus**

**Wirceburgi, 1598**

**VD16 S 5993**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64132)



111.10.

~~20~~

Th. 4875.





S. KILIANI  
FRANCIAE  
ORIENTALIS, QVAE  
ET FRANCONIA DICITUR;  
APOSTOLI,  
GESTA.

*Varijs cum notationibus historicis,  
dogmaticis.*

QVAE, AD  
REVERENDVM ADMODVM  
& CL. Virum, Dominum IOHANNEM WIL-  
HELMVM GANTZHORNIVM Franconem,  
Noui Herbipoli Monasterij Decanum, incly-  
taeque ibidem Academiae Procancel-  
larium, & Exrectorem,

SCRIBEBAT

NICOLAUS SERARIUS,  
*Societatis IESV Sacerdos.*

D. PAVLVS ad Hebr. cap. XIII.

*Mementote Praepositorum vestrorum, qui  
vobis locuti sunt Verbum DEI.*

VVinceburgi e Typographeo Georgij Fleischmanni. 1798.



IN GENTILITIVM  
inſigne,  
REVERENDI  
ADMODVM ET CLA-  
RISSIMI VIRI, D. VVILHELMI  
GANTZHORNII, &c.

HIS KILIANÆIS NOTIS  
præfixum.

**H***Umida quas tacito labentes æthere stellas  
Nox alit, excubias orbis habere ferunt.  
Hinc tres dereptas tibi fata inſigne dederunt,  
Aſtris equiparet quòd tua cura tribus:  
Seu te Academia voces, Marianaue caſtra,  
Siue vocet Cleri buccina ad excubias.  
Nec temere camurum ſupera hiſcit ad æquora cornu:  
Diuùm illud ſpumans hic ubi rore bibes.  
Non opibus turget, quas ſubiicit vberetellus  
Queis illud nutrix cinxerat ante Iouis.  
Cum meritis paria illa tuis non fecerit, et ſi  
Qua promit cumulet munera, quæq; premit.*

*Tempus erit (sed serò precor) tam diues olympi  
Quando tuum in cornu copia tota fluet.  
Quod superest summa duo cornua casside vibrant,  
Cornua Lysimachi qualia Thracis erant.  
Quod rem doctrinâ summam, quod moribus armas,  
Et cornu decoris solus utrumq; replet.  
Felix, si tanto legeris Kiliane patrono.  
Unus cæli oculis plus videt ille tribus.  
Si verò hoc pro te cornu vigilabit utrumque,  
Permetuat tantas Geila vel ipsa minas.  
Si pariter cupies ipsi, non, ceu modo, cornu  
Hoc vacuum, cali sed bene diues erit.*



AVCTORIS  
IN S. KILLIANI  
FRANCONIAE APOSTO-  
LI VITAM, ET MAR-  
TYRIVM,

PRÆFATIO

AD REVERENDVM AD-  
MODVM ET CL. V. DOMINVM  
D. IOHANNEM WILHELMVM GANTZHORNIVM  
Franconem, noui Monasterij Decanum, I. V. D.  
inclytæ Academiæ VVirceburgensis  
Procancellarium, &  
Exrectorem.



**F**uit quondam admo-  
dum Reuerende Domine Decane,  
apud Athenienses, eius, à quo vnā  
in ciuitatem, è varijs, sparsisq; At-  
ticæ locis, congregati erant; grauif-  
sima quondam Thesei memoria,  
sic, vt delubra ei complura erigerent; eius quotannis  
festa, quæ Thesea vocabantur, studiosissimè agerent:  
eiusq; sepulchrum seruis, & ijs, qui potentiorum iniu-  
rias vererentur; asylum decernerent; ei quotmensi-

*Plutarchus  
in Theseo.*

bus sacrificarent: ipsos qui eum expinxissent, Pictores Silanium, & Parrhasium venerantur, eius denique pædagogo Connidæ, arietem, Theseorum pridie, immolarent. Qua in re nemo quidem Christianus, ea quæ è Gentili errore proficiscebantur, templa, & sacrificia homini facta probabit. mortali ascriptam diuinitatem laudabit nemo. quæ tamen è limpidissimis naturæ fontibus manant, grati in eum, qui benè de ipsis meritus erat; animi symbola; quis laude ac imitatione digna non censeat? Potissimum verò nostras in prouincias, ac vrbes insignia eorum mihi merita videntur, qui è varijs, & perniciosissimis idololatriæ nos erroribus vnam ad veritatem vocarunt: cœlestis Hierusalem ciues effecerunt: vnius, veri que Dei præcones, & sacrosanctæ IESV CHRISTI Domini, & saluatoris nostri fidei apostoli extiterunt. *Cunctorum vt ait S. Augustinus, licet dilectissimigloriosas martyrum passiones, quos distincta regionibus loca meruerunt; vna fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles: propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio vendicant dignitatem, qui Ecclesiam Dei, & documentis, præ cæteris erexerunt, & patrocinijs adiuuerunt.* Quantum enim antecellit corpori animus, tantum quæ in hunc, ijs quæ in illud conferuntur beneficia, meliora, & præstantiora sunt. *Si, quemadmodum idem Augustinus dicit, habet in cælo magnum locum panis fractus esurienti, quantum locum ibi habere credenda est misericordia, qua homo eripitur diabolo, tanquam leoni rugienti, & quem deuoret, inquirenti? Non est, sicuti affirmat S. Chrysostomus, quidquã, non est vllum vllius rei precium, quod cum anima conferri possit: ne mundus hic quidem vniuersus. ideo q̃, etiã si decem numo-*

Sermon: 13.  
de sanctis.

Epist. 199.

Hom: 3. in I.  
Cor.

PRÆFATIO.

*rū millia pauperibus dares, nihil eiusmodi efficeres, cuiusmodi efficit, qui vel vnā animam conuertit. Qui enim preciosum educit, ex vili, is, ait Dominus, erit tanquam os meū.*

Jeremia 15.

Hinc & D. Apostolus. *Qui benè præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina, vt rectè olim scripserit Plutarchus; multo iustius Thesei antè nominati pædagogo, quam eius pictoribus honorem haberi. Et rursus alibi Paulus in hanc sententiā; Mementote præpositorum vestrorū, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitami fidem.*

1. Tim. 5.  
cap.  
loco cit.

In hisce verò præpositis, magistris, & doctoribus, quorum egregius in cœlesti diuinarum rerum doctrina, & propagatione labor exitit; non infimas tenet S. Kilianus, qui admirabili Zelo incensus, è remotissima Occidentis Insula, cognatis, amicis, bonis, patria, cæterisque omnibus, quæ hominum vincire animos solent; posthabitis, hanc in Franciam Orientalem, longis, & periculosis, terra, marique itineribus deuenit: Herbipolitanae huic ciuitati sanctissimam CHRISTI IESU fidem annunciauit: è densissimis idolorum tenebris ad salutarē veritatis lucem Francos maiores nostros adduxit: eaque Christianae religionis fundamenta iecit, suoque ipsius sanguine constabiliuit, quæ Diuo postea Burchardo ad laborante, in miram altitudinem surrexerunt: totam in prouinciam sese dilatarunt: & deinceps, ad hodiernum vsque diem, vario licet hæreticorum impetu appetita, fraude, doloque multiplici tentata, non nihil etiam euerfa, & labefactata: felicissimè tamen constantissimèque vel omnino manserunt: vel *optimorum; qui sanctam eiusdem S. Kiliani sedem, memoria nostra, te-*

Heb. 13.

*nuerunt;*

PRÆFATIO.

nuerunt; Episcoporum cura, & studio restaurata & corroborata sunt. Vt verò melius, certiusque omnia quæ de Sancto nostro dicenda sunt; intelligantur, ipsam eius, prout, ex antiquis manu scriptis voluminibus, à religioso, & admodum docto viro Laurentio Surio Carthusiano, edita est; historiam nostris hic insertā primò legere oportebit. in quam Notationes istas Tibi admodum Reuerende Domine Decane, vt inscriberem, fecit perspecta mihi Tua in Societatis nostræ Collegium beneuolentia; in egentes & exteros humanitas; in Herbipolitanam Ciuitatem inclytamque ipsius Academiam, quarū vtramque dilexi semper & obseruauui; propensio; ac in lucubratiunculam hanc meam studium & amor, dum, è manuscriptis Codicibus, si, præter Loterbechemsem, de quo infra; quidpiam suppeditasset, perlibenter communicasses: Demum verò etiā excellens illa Tua ea in æde perantiqua, dignitas, quam sanctissimi huius Apostoli Kiliani hospitium nobilitauit, sanguis purpurauit, mors immortalitati consecrauit. Nunc tua R. D. cum toto suo admodum præclaro, & mihi semper colendo Canonorum cœtu, VALEAT & VIVAT in Domino, plurimum.



Prolo-

I



PROLOGVS AV-  
CTORIS VITÆ ET  
MARTYRII  
S. KILIANI.



Anctorum martyrum certamina quoties ad memoriam redeunt, mentem ardore compunctionis afficiunt. Quo fit, vt fraternæ charitati multum videatur impendere, qui martyrum historias stylo studet memoriæ commendare: & quamuis culpis retardantibus, iter ipse rectitudinis necdum valeat assequi, at tamen in patriam tendentibus veritatis tramitem monstrat: alioqui sanè miserimus futurus, si feliciter nauigantibus portum salutis inuideat, dum patitur ipse damna periculosa nauigationis. Itaque beatissimi martyris Kiliani ac sociorum eius gesta, prout possumus, literarū notis assignare curamus, vt fraterna studia ad amorem boni operis incitemus: & quia phialam fratribus exhibere non possumus, saltē cyathum offerimus.

B

VITA

VITA ET MARTYRIUM SS. KILIANI  
 EPISCOPI, COLOMANNI PRESBYTERI ET TOTNATI MARTYRUM, VT IN ANTI-  
 QVIS MS. VOLVMINIBVS  
 HABETVR.

*Frequens est  
 apud Scripto-  
 res quosdam,  
 vt Scotiam  
 pro Hibernia  
 dicant.*



*S. Kilianus  
 fit monachus.*

Beatus Kilianus è Scotorum genere nobilibus ortus parentibus, diuinæ gratiæ factus est nobilitate clarissimus. Scotia, quæ & Hibernia dicitur, insula est maris Oceani, fœcunda quidem glebis, sed viris sanctissimis clarior: è quibus Columbano gaudet Italia, Gallo datur Alemaniam, Kiliano Francia Teutonice nobilitatur: qui, vt diximus, nobili prosapia editus, & in ipsa pueritia liberalibus studiis traditus, simul cum literarum incrementis diligenter cœpit indagare veritatis viam, & tandem, diuina illum præueniente gratia, spretis humanarum literarum studijs, cunctisque huius mundi illecebris, monasterium petijt, abnegansque semetipsum sibi, tulit crucem suam, & secutus est Christum. In monasterio igitur degens, quantæ obedientiæ, quantæ frugalitatis, quantæ in vigilijs & orationibus instantiæ fuerit, vitæ præsentis terminus declarauit. Quauis enim martyrij palma per gratiam magis, quàm per meritum constet, at tamen bonis operibus adimpletur.

Viden-

Videntes autem fratres monasterij in virtutum profectibus beati viri perseuerantiam, primò eum per Ecclesiasticos gradus ad presbyteratùs officium precibus ascendere, deindè eiusdem monasterij gubernandi curam suscipere coëgerunt. Ille verò sciens perfectionem charitatis sine proximi dilectione constare non posse, apud suos aliquãdiù se detineri passus est, vt fratrum prodesse posset vtilitati, imitatus Apostolum, cupientem anathema fieri à Christo pro fratribus & cognatis suis secundum carnem. Veruntamen cum fama beati viri longè lateque crebresceret, metuens ipse, nè popularis fauor maculam aut labem aliquam sibi adferret, coëpit meditari, quemadmodum posset notos ac propinquos relinquere, & longè remotas petere regiones, vbi obscurus fama & vilis genere haberetur, sicque liberiùs cultui diuino vacaret. Postquam igitur deliberatum illi fuit atque constitutum, discedere è natali solo, accitis socijs, in quorum mentibus idem feruor dilectionis ardebat, cum ijs in vicinam Scotiae Britanniam peruenit: eamque non longa navigatione præteriens, Gallias attigit. Inde profectus est in Germaniæ prouinciam, quæ ab incolis terræ illius orientalis Francia vocitatur, ibique in oppido, quod lingua illorum Vuirzburg dicitur, morari constituit, non veritus incredulæ gentis feritatem, quippe qui animo intrepido coronam martyrij appeteret. Interim tamen à verbo prædicationis abstinuit, donec se Romano Pontifici præsentaret, vt apud Romanam sedem, & integrum Christianæ religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet.

Hibernia siquidem olim Pelagiana scœdata fuerat hæresi, Apostolicaque censura damnata, quæ nisi Ro-

*Fit presbyter  
& prefectus  
monasterij.*

*Rom. 9.*

*Venit Herbi-  
polim.*

*Nota obser-  
uantiam er-  
ga Roman.  
Pontificem.*

*O. d. inatur  
Epif. opus.*

mano iudicio solui non poterat. Itaque vir sanctissimus coram Primate Apostolicæ sedis eiusdemque ministris, ut ipsi semina diuini verbi gentilibus erogare liceret, studio diuini amoris expetiuit. Tunc autem præerat Romanæ Ecclesiæ Conon Pontifex, humanis diuinisque literis pollens, Pontificali officio congruus, in ordinandis Ecclesiasticis rebus discretor idoneus. Is audita fide iam dicti viri charitatis nexibus illigata, Deo quidem gratias egit, illi verò sese charitatis beneuolentia impertiuit, exultans semina diuini eloquii ab insularibus & longè positis doctoribus propagari. Erat, inquam, apud egregium Pontificem non modica exultatio, quòd cerneret paulatim euacuari fraudes antiqui hostis, crescentibus ministris diuinæ operationis. Itaque consensu totius vrbe beatissimum virum in præfulatûs officio constituit, quò & chrisma conficere, & ecclesias dedicare, & sacros ordines conferre irreprehensibiliter valeret. Atque his ita peractis, dimisit eum, monens ut cœpto operi insisteret, à Domino parato sibi præmio æternæ retributionis.

Beatus igitur Kilianus Vrbe egressus, emenso itinere longissimo, cum Colomanno presbytero & Totonano Leuita, ad locum sibi destinatum peruenit. Veniens autem ad prædictum oppidum orientalis Franciæ Vuirzburg, non eum, quem prius, in ea prouincia Ducem inuenit, sed alium, Gosbertum nomine. Cœpit ergò venerabilis vir paulatim diuini verbi pabula incredulis populis ministrare. Tantam enim gratiam Dominus ei contulerat, ut breui tempore & gentis idioma perdisceret, & eis ipsorum lingua veritatis semina iactaret. Mirabantur autem omnes non solum doctrinæ nouitatem, sed magnam quoque eloquentiæ

vim

vim & copiam. Porrò sermonis facundiam, virtutis efficacia comitabatur. Impletum est in illo, quod veritas Apostolis promisit: Ego, inquit, dabo vobis os & sapientiam. & item: Opera, quæ ego facio, & vos facietis.

*Luc. 21.  
Iohan. 14.*

Sed cùm iam diuini eloquij semina succrescerent, & in plebe sensim minuerentur errores gentilitatis, vsq; ad principes populi, sancti viri fama perlata est, adeò vt ipsum quoq; Ducem prouinciæ non lateret: qui sanctum virum sibi præsentari iussit, experiri cupiens, quænam esset hæc doctrina, quam prædicaret, hæc tunc ipsi incognita. Erat verò is Princeps magno ingenio præditus, licet gentilitatis erroribus fœdatus. Vt autem ad eum peruenit vir beatus, constanter veræ dogma religionis ei cœpit proponere, docens vnum Deum esse in personarum trinitate, visibilium & inuisibilium creatorem & authorem, per quem rationalis creatura, inuidi hostis fraude decepta, sit misericorditer reparata. Princeps verò admirans tantam viri constantiam, & sermonum insuperabilem veritatem, quia, vt diximus, naturali pollebat ingenio, veris se sententijs superatum videns, ad tempus eius distulit auditionem, volens crebra apud se tractare inquisitione, vtrum eius, quem Kilianus prædicabat, vel Dianæ potiùs cultus præferendus esset. Diana namq; apud illum in summa veneratione habebatur. Interim egregius vir iugi instantia connitebatur Domino lucrari animas, quas diabolus perdere volebat. Ita lucerna super candelabrum posita, omnibus resplendebat: & ciuitas in monte constituta, ab omnibus videbatur. Porrò Dux cernens egregij viri perseuerantiam, secreto venit ad eum, cupiens doctrina eius institui, vt

*Matth. 5.*

*Dux Franco-  
nia credit &  
baptizatur  
cum multis  
alijs.*

cognito veritatis tramite, declinare posset anfractus erroris. Sic igitur à beatissimo viro catholicæ fidei documentis diligenter instructus, proximo Dominicæ resurrectionis die cum multis alijs dato nomine, aqua lotus baptismatis, absolutionem pristini promeruit erroris: atque ita factum est, vt tota penè Orientalis Franciæ prouincia, relicto dæmonum cultu, diuinæ religioni operam daret.

O beatissimum virum Apostolicæ dignitati comparandum. Ad iudicium nanque Domino veniente, Petrus Iudæam, Andreas Achaiam, cæteriq; secum diuersa regna trahent: inter quos beatus Kilianus Tentonicam Franciam ducet. Quanta erit tunc exultatio patris & prolis in patria, quandò omnibus mundi superatis periculis, nec memoria vlla erit tribulationis? Sed iam tempus est, vt ad beati viri sociorumque eius martyrium, succinctè referendum, veniamus, ita tamen, vt moderata breuitas & studioso lectori satisficiat, & desidiosio nō pariat fastidium. Dux Gosbertus assidua adhortatione beatissimi præsulis ad meliora in dies proficiebat: sed coniugem habebat pro ritu gentilitatis, quæ quondam fratri ipsius matrimonij iure fuerat copulata. Hæc \* Geila dicebatur. Eas nuptias præclarus vir idcirco noluit in ipsis fidei initijs prohibere, ne Dux ea re absterritus, susceptæ fidei pœnitentia duceretur. Sic & Apostolus in fide necdum perfectis dicebat: Tanquàm paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. perfectorum enim est solidus cibus. Distulit ergò egregius martyr in aliud tempus, quod grauius nouerat: simulque diuino reuelante spiritu, sciens huius rei occasione sibi & socijs suis conflare martyrium, vt multis interea pro-

*\* Alij Gislā,  
Alij Geila.  
nam vocant.*

*1 Co. 3.  
Hebr. 5.*

desset

deffet, non ilicò tale voluit damnare coniugium, licet cuperet dissolui & esse cum Christo, Apostolum in hoc quoque imitatus, qui in sporta per murum à fratribus dimissus est, non quòd mortem timeret, sed vt multis ante mortem prodesset. Verum enim uerò cùm die quodam venerabilis præsul Ducem familiariter alloqueretur, dixisse fertur inter cætera: Fili mi, quem per Euangelium Christo genui, gaudeo valdè profectu fidei tuæ: sed multum mouet me, quòd illicitis nuptijs teneris implicatus, nec mediocriter formido, ne à recto itinere tali coniugio retarderis. Legitur enim in sapientissimo Salomone: Qui in vno offendit, multa bona perdit: Iacobo Apostolo illi subscribente, dū ait: Qui totam legem seruauerit, offendit autem in vno, factus est omnium reus. Porrò in baptisate innouatur homo, idq; non ex quadam suū parte, sed totus. Vt autem totus innouari possit, nihil pristini erroris retinere debet.

Audiens hæc Princeps, primùm hæsit stupore: deindè alta suspiria trahens, (valdè enim diligebat eam, quam habebat vxorem) demùm tale fertur dedisse responsum: Audiui pater, te docente, mōnere Dominum Iesum, nihil ipsius amore vt antepōnamus, non patrem, non matrem, non filios, non vxorem. Et idcirco quauis vnicè diligam iunctam mihi vxorem, at illi tamen diuinum præpono amorem. Sed nunc mihi ocium non suppetit inquirendi, vti eam possim à me dimittere. festino enim contra hostes nostræ publicæ rei. Cùm autem reuersus fuero, inuēta opportunitate dimittendi, separabor ab illa. Hæc verò cum ad aures Geilæ peruenissent, (Quis enim fallere posset amantem?) graui incanduit ira, perindè vt catulis ra-

Act. 9.

Eccles. 9.  
Iac. 2.

Luc. 14.

Geila Ducis  
coniunx me-  
ditatur cede  
S. Kiliano.

ptis

ptis leana, diuq; secum bacchata, ex eo coepit quære  
 oportunitatem sanctos illos viros extinguendi. Ne-  
 que enim absente marito, tanto cessaret cardine re-  
 rum. Felix Kiliane, qui Eliæ & Iohanni dignus es com-  
 parari. Elias Iezabelis insidias pertulit, Herodiadis  
 fraude Iohannes martyrium accepit: tu Geilæ æmu-  
 latione trucidaris. tamen vna omnibus causa est la-  
 boris, testificatio veritatis. Elias non nuptias prohibu-  
 it, sed mulieris improbitatem damnauit: at ideò eua-  
 sit, quòd eum abscondit Dominus. Iohannes & Kilia-  
 nus quia nuptias illicitas reprehenderunt, fœminea  
 virulentia mortem perpessi sunt. Nulla enim bestia-  
 rum feritas in hoc mundo æquiparari potest mulieri  
 malæ. In huius rei exemplum proferri possunt duo præ  
 omnibus alijs viri incomparabiles: Samson inuicti  
 roboris dux Israëliticæ plebis, & Salomon inexhausta  
 sapientia laudabilis: quorum vterque fœmineis frau-  
 dibus euersus est: hic idola colendo, ille, vndè posset  
 priuari sua fortitudine, aperiendo. Nulla igitur bellua  
 comparari potest malæ mulieri.

*Iudic. 16.  
 3. Reg. 11.*

Sed ad id, vndè digressi sumus, reuertamur Nefan-  
 da mulier, de qua nobis est sermo, callida meditatio-  
 ne perquirebat, quemadmodum sine populari strepi-  
 tu & vulgi cognitione sanctos viros posset tollere è  
 medio. Armabatur enim iræ impatientia & libidinis  
 furore: & quia diabolus iniqua cupientibus fomenta  
 malitiæ subministrat, inuenti sunt duo administri  
 crudelitatis eius, qui promitterēt se satisfacturos Gei-  
 læ desiderijs, si munera darentur pro tanti perpetra-  
 tione sceleris. Ità factum est, vt accepto nefandi ope-  
 ris præmio, voto responderint fœminæ crudelitatis.  
 Solebat beatissimus martyr Kilianus post paruum

dormi.

dormitionem necessitatis, vigilare ad studium propensæ orationis. Quadam verò nocte cùm leues carperet somnos, ità vt nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formaque pulcherrimus, qui diceret: Amice Kiliane, surge: nolo te diutiùs laborare: duntaxat certamine tangèris, & sic victor iugiter mecum eris. His dictis, abscessit. Euigilans autem egregius vir, intelligens diuinam eam esse visitationem, conuocatis fratribus, inquit: Fratres, vigilemus: citò aderit Dominus, & pulsabit ianuam. cauendum nobis est, nè nos somno torpentes inueniat. Ad damus oleum lampadibus, dum tempus est, ne si forte defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus inuenire. Illis itaque circa medium noctis orationi vacantibus, carnifices strictis gladijs locum, in quo orabant, penetrârunt. Quos cùm sacer vir intuitus esset, ait: Amici, ad quid venistis? Vos implebitis præceptum: nos cursum consummabimus. His dictis, interfecti sunt, ibique terræ mandati, ne quis rem gestam scire posset. Vestimenta quoque, cum quibus diuina peragebant officia, sacriq; libri, cum illis defossa sunt, ne quod indicium necis eorum extaret: sed clam discessisse putarentur causa solitæ perigrinationis.

Erat tamen nobilis quædam matrona, Burgunda nomine, quæ à principio prædicationis eorum sanctis viris adhæserat, habens cellulam iuxta oratorium sanctorum, quò faciliùs diuinis laudibus interesse valeret. Hæc intenta vigilijs, quæ facta fuerant, diligenti studio inuestigauit, recedentibusq; carnificibus, lintolo mundo fustum sanctorum sanguinem collegit, ac terræ diligenter infodit, vigilijs & orationibus iugiter vacans, vbi sanctorum corpora obruta nouerat, exco-

*Visio S. Kiliani.*

*Matth. 25.*

*Ceditur S. Kilianuseum sociis.*

lebatque locum veneratione, qua poterat, sed occultè, nè sicut postea factum est, Geila iussu remouerentur. Ea enim sceleratissima mulier stratis planis stabulum equorum in loco, vbi sancti martyres humati fuerant, fieri iussit, nè quo indicio sacra corpora proderentur. Ferunt autem ab ijs, qui tunc fuere, posteris relatum, iumenta eo in stabulo manentia super sepulcra martyrum, nec stercus, nec vrinam reddidisse, honorem martyribus exhibentia: vt quod de capite propheta vaticinatus est, id in eius quoque membris cerneretur. Cognouit, inquit Esaias, bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit. Tali ergò modo sanctorum corpora hominibus propemodùm ignota mansissent, nisi Burgunda, quam diximus, in extremo vitæ posita, quibusdam fidelibus, vbi condita essent, reuelasset.

*Esai. 1.*

Contigit autem, vt dux à bello reuerteretur ad locum, in quo sanctos viros reliquerat: cum eos non inueniret, studiosè perquisiuit, quando & qua causa recessissent, quòve profecti essent. Tum vxor eius, veneno malignitatis deprauata, modò rubore perfusa, modò pallore affecta, aliàs confidentia animata, multos anfractus suæ nequitiae & fraudi prætexebat, dicens non se eos custodiendos suscepisse, neque ijs custodes adhibuisse: pro sua voluntate illos & venisse & recessisse, vt peregrinationis suæ institutum persequerentur. Sed quem foemineæ voces non emolliunt? quem à statu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis suæ coniugis princeps, non nihil à cæpta inquisitione remisit. Sed iuxta Dominicam vocem, Nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur. Cùm ea, quæ facta fuerant, paulatim

*Matth. 10.*

ob.

obliuioni darentur, vnus eorum, qui sanctos viros gladio peremerat, subito à dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit: Kiliane, acriter me persequeris. Igne enim consumor: quod feci, celare non possum. Video imminere mihi gladium, tuo sanguine respersum. Talia diu vociferans, & proprijs se dentibus lanians, à præsentis migravit ad pœnas æternas. De talibus quippe scriptum est: Duplici contritione contere eos Domine. Alter verò cædis sanctorum conscius, in rabiem versus, gladio se petijt, effusisque visceribus, per tormenta præsentis temporis ad æterna peruénit. Quisnam Geila tibi cernenti talia sensus tunc erat infelix? cruciatibus aucta furebas. Non multò post & ipsa bellua, de qua loquimur, à dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat: Iustè torqueor, quæ sanctis viris tortores adhibui. Rectè crucior, quæ cruciatus illis parauit. Acriter instas Kiliane, ignem accendis Colomanne, fomenta ministras Totnane. Sufficiat vobis vicisse: nimis vestras vlciscimini iniurias. A calice Kiliane diceris: sed valde amara mihi pocula infundis. His dictis, miserabiliter vexabatur, ita vt à multis teneri vix posset. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatus diabolo paratos migravit. Cernimus impletum, quod Veritas in Euangelio dicit: Dominus non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Amen dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.

His ità gestis, aiunt Gosbertum à suis seruis interceptum, filiumque eius principatu deiectum, co-

*Percussor  
martyrum  
se se prodit,  
arreptus à  
dæmone.*

*Ierem. 17.*

*Geila occupat  
demon  
& secum  
ducit in tar-  
tara.*

*Luc. 18.*

*Gosbertus  
Dux à seruis  
proprijs in-  
terimitur.*

gnatos affinesque eorum à contribulibus tanta per-  
pessos, vt vix aliqua eis Reipublicæ dignitas ea in  
prouincia relicta sit. Quæ autem horum caussa fue-  
rit, vtrùm quòd fidem rectam colerent, ab ijs, qui ab  
ea deuiãrant, talia passi sint : an quòd post cædem  
sanctorum martyrum à veritatis tramite re-  
cesserint, vindictam hanc diuinitus illatam  
pertulerint, viderit ille, quem nul-  
lum latet secretum, modò nos nihil  
eiusmodi afferamus, quod  
incompertum ha-  
bemus.



## NOTATIONES.

**D**Vo eorum, quæ notanda mihi videntur; genera erunt. Prius varium quidem, & pluribus ex artibus, & disciplinis miscellum; à maiore tamen parte historicum vocetur. Alterum dogmaticum, in quo de nostri temporis controuersis dogmatibus, & articulis, deq; ijs, quæ ad mores valeant, agetur. Vnum moneo; Qui pia tantum & vtiliora quærit, prius illud prætereat.

PRIMUM GENVS NOTATIONVM  
historicum hæc XXIII. complectitur.

- I. De Historia huius auctore.
- II. De S. Kiliani nomine.
- III. De S. Kiliani patria. An ipse scilicet Scotus, an Hibernus fuerit?
- VI. De regione in quam venit S. Kilianus.
- V. Qui Francorum, Franconumvè meminerint, auctores.
- VI. Quid de Francorum Nomine, Loco, & propagatione colligendum sit.
- VII. De Herbipolitana vrbe.
- VIII. De S. Kiliani tempore in Franconiam aduentus, & martyrij ibidem suscepti.
- IX. Quæ S. Kiliano Romam hinc proficiscendi causa.
- X. Quenam Apostolica Hibernia censura fuerit.
- XI. De S. Kiliani Socjjs.
- XII. Qua lingua Francis nostris prædicarit S. Kilianus.
- XIII. De eo, qui tum erat Franciæ Dux.
- XIV. Quinam in Francia Dy tùm colerentur.
- XV. Cur Resurrectionis Dominicæ tempore baptizatus Franconia Dux.

- XVI. De Francia Ducis uxore, quam, &, an viuentis fratris uxor?
- XVII. An S. Kilianus Fratris mortui uxorem in baptizando Duce tolerare potuerit? ubi contra Caluinum & Bezam dissertiuncula.
- XVIII. An in baptizato iam Duce, uxorem eandem tolerare potuisset?
- XIX. Qui sacri libri sacris cum corporibus defossi.
- XX. Quæ Burgunda, martyrum corpora sepeliens?
- XXI. De Sancti iam occisi miraculis.
- XXII. An primus Herbipolitanorum Episcopus, S. Kilianus.
- XXIII. Versus Epitymbj.

ALTERVM NOTATIONVM GENVS  
dogmaticum, de ijs, quæ ad fidem, bonosque mores faciunt.

- I. Quam antiqua Herbipoli fides.
- II. Qualis ab initio Herbipoli, tota q̄ in Francia fides fuerit.
- III. Documentorum moralium.



PRIMA NOTATIO.  
DE HISTORIÆ HVIVS  
AVCTORE.



Eius se nomen necdum reperisse profitetur Surius; profiteor & ego. tantum addo, veritatis perstudiosū, ex narrationis ipsius sine apparere. Qui ait: *Nihil eiusmodi asseramus quod incompertum habeamus.* Illigavit eandem historiam versibus, ante annos 237. D. Iohannes Erfordiensis, dictus de Luterbache, in S. Stephani cœnobio Monachus, Episcopi Capellanus & Præpositi Monasterij in castro Montis socius, prout in Manuscripto codice, quem mihi legendum vtendumq; is, quē paulò ante indicaui; D. Decanus Noui monasterij dedit, habetur. Versus verò illi eo ex genere sunt, quod ætate illa, in precio. sicq; incipiunt.

*Sanctorum mer* } *ita* } *norunt compungere m* } *entes.*  
*Cura solic* } } *studiose pio recol* }

Inueni etiam vastum quoddam in Moguntino Societatis nostræ Collegio manu itidem scriptum volumen Lectionarium, in quo, de sancti nostri rebus gestis, ea, lectionibus nouè, proponuntur, quæ historiolum per sese aliquam possint constituere.

## II.

DE SANCTI KILIANI  
NOMINE.



Variè nomen hoc scriptum inuenio. Nam alicubi legitur Quillianus, alibi Chilianus, Chillianus, & Kilianus, in ipsius etiam Epitaphio, & quibusdam manu scriptis codicibus (a) Killena, & Kyllena. Eius originem quandam auctor noster indicauit, dum, quæ Martyres occidit; ita loquentem Geilanam inducit. *A calice Ki-*

*a Luterboch.  
Lect. Mog.  
Epitaph.*

*lia-*

liane diceris, sed valdè amara mihi pocula infundis. Sanè Græca vox κελίς à qua, Latinus calix, ad Kilianum satis accedit, Sicuti & Germanicus *Kelch*. Sed quomodo Græcum istud etymon Germana, Christianum Ethnica mulier scire potuit? Duo modi occurrunt. Vnus est, quod etiam si vulgus nesciat, in Germanica lingua sunt, olimque fuerunt Græcæ voces, non pauca. ita vt iam tunc Germanicè *Kelch* dici potuerit.

Lazius de  
migr. Gent.  
Iunius l. 5.  
Animadu.  
c. 6.

Lib. 5 hist.  
c. 11.

Quest. in  
Gen c. 17.  
& epist.  
126 de Hi-  
erusalem.

in hist. Scot.  
f. 194.

Alter modus. Sunt cum Christiana religione, Christiana etiam nomina in Germaniam illata plurima, vt *Engel / Messe / Kirch / Kreuz / Altar / Priester / Psaff* / vel Saxonice, *Pap / Bischoff* / vel itidem Saxonice *Biscop / Almu- sen / Sacrament / Chrisam* / & similia, ex angelo, missa, κρυακὴ, cruce, altari, presbytero, Papa, Episcopo, eleemofyna, Sacramento, & chrismate. Cum igitur Christiana mysteria, S. Kilianus importaret, de Missa, & sacra Eucharistia populum doceret, ipse, ipsiusq; socius Colomannus Presbyteri essent, & sacra non rarè facerent, quàm facilè fieri potuit, vt vox ea *Kelch* inualesceret, vulgoque etiam tereretur. Licet enim de sanctis nostris existimare, quod, sub ipsa S. Kiliani tempora, de duobus Euangelij præconibus alijs, qui ex Hibernia in Saxoniam veterem venerant; scribit V. Bada. *Hymnis & psalmis, semper & orationibus vacabant, & quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, & tabulam, altaris vice, dedicatam.* Verum nemo inquit D. Hieronymus, *in altera lingua quempiam vocans, etymologiam vocabuli sumit ex altera.* Cur Scoticum igitur Kiliani nomen à Græco, Latino, aut Germanico repetamus? Ego verò non assero, veram adhuc etymologiam allatam, sed tantum quomodo fieri potuerit, vt Franca mulier aliquam, neque ineptam, ad nomen illud allusionem afferret; exposui. Apud Anglos valet hodie *Kyl* occide, & *Lex macilentum*: apud Scotos est *Kyla* vrbs, & *Kilflos*, quasi templum florum, vti Scotus refert Leslaus. Sed ad *Kyllenam*; vel *Kylianum*, eorum nihil referre audeo. Sunt in hybernis tamen hodiè, qui *Kelle* vocentur. vt qui, superioribus hisce annis, Pragæ fuit.

## III.

DE S. KILIANI PATRIA. AN IPSE  
SCILICET SCOTVS, AN HYBERNVS  
FVERIT?

**C**otiam S. Kyliano patriam fuisse Auctor indicat. Idemque asserunt Sigebertus, Wernerus, Leslaus, Thomsonus, & sanctus ipse Bonifacius ad Zachariam Romanum pontificem Epistola Scotigenam appellat. Hyberniam alij ei tribuunt. Mariani Scoti verba sunt. *Sanctus Kilianus de Hybernia insula natus, Wirtziburgensis Episcopus clarus habetur.* Sciendum videlicet, Etiam si hodie Scotia proprie vocetur, ea Britanniae pars, quae ipsi Angliae continens, ad Septentrionem vergit, olim tamen eo nomine Hyberniam notatam fuisse, ut ostendit V. Beda, cum, e Scythia, Pictorum gentem in Hyberniam venisse ait, ibique Scotorum gentem inuenisse. *Est autem, inquit, Hybernia Insula omnium, post Britanniam, maxima, ad Occidentem Britanniae sita.* Narratque deinceps, quomodo isti a Scotis refutati, Septentrionalem Britanniae regionem occuparint, cum Australem iam antea Britones occupassent, & venientes ad se Scotos in eandem regionis occupatae partem admiserint. Rursumque quomodo eadem Hybernia serpentes nullos habeat, imò eius terra, si in Britanniam feratur, potuique detur, noxios serpentum morsus sanet. Ad extremum subiungit. *Hæc autem proprie patria SCOTORVM est. Ab hac egressi, ut diximus, tertiam in Britannia, Britonibus, & Pictis gentem addiderunt.* Et postea. *Anno, inquit, Dominicæ incarnationis 684. Esfridus Rex Nordan Humbrorum, misso in Hyberniam cum exercitu duce Berto, vastavit, misere gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimam; ita ut nec Ecclesijs quidem, aut monasterijs manus parceret hostilis.* Et statim eandem Hyberniam vocat Scotiam. Quo modo, ait, anno præcedente, noluerat audire Reuerendissimum Patrem Egbertum, ne SCOTIAM nihil se lædentem impugnaret, datum est illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos, qui ipsum ab interitu reuocare cupiebant; audiret. In Martyrologio etiam

Fasc. anno  
604. in pref.  
Hist.1. S. Bureb.  
cap. 7.

Anno 686.

l. 1. hist. c. 1.

lib. 4 c. 26.

Die 8. idus  
Iulij.

lib. 1. contra  
Iovin.

l. 4.

l. 12. c. 38.

ita loquitur. *Natale S. KILIANI martyris, & duorum sociorum eius, qui ab Hybernia SCOTORVM insula venientes, nomen CHRISTI prædicauerunt. Mariani Scoti, quæ supra posui, verba clarissima sunt: idem tamen Anno 674. Hybernia, inquit, insula SCOTORVM sanctis viris plena habetur. Hoc enim Scotorum nomen, etsi ex impressis abest hætenus, eo tamen loci reponendum ostendit vetustus manu scriptus Marianus, quem admodum Reuerendus, & doctus senex, D. IOHANNES LATOMVS, Francofurtensis Ecclesiæ S. Bartholomæi Decanus, de Catholica Ecclesia meritis optimè; domi suæ habet, mihiq; suis cum notationibus, paucis abhinc hebdomadibus, Moguntiam eunti monstrauit. Ionas vero S. Columbanus æqualis, in eius vita c. 2. Columbanus, ait, qui & Columba vocatur, in Hybernia ortus est. Eam Scotorum gens incolit, quamquam cæterarum gentium legibus carens, attamen Christianæ religionis dogmate florens, ita vt omnium vicinarum gentium fidem excellat. Quid pluribus? Ipse auctor noster, Scotia, inquit, quæ & Hibernia dicitur, insula est Oceani, fecunda quidem glebis, sed viris sanctissimis clarior. Et; Vbi deliberatum illi ( S. Kiliano ) fuit è natali solo discedere cum socijs in vicinam SCOTIÆ Britanniam peruenit. D. Hieronymus refert in Gallia se vidisse Scotorum gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, & vxores proprias non habere. Quæ verba è Strabone lucem accipiunt, cum scribit. Sunt circa Britanniam insulae aliæ parvæ, vna verò magna Hybernia ( Ἰέγκυ ) ad Septentrionem proiecta, longa ipsa quidem, sed latitudinem maiorem habens. de qua quod perspicuum, nihil habemus dicere, nisi quod eius incolæ multo Britannis efferatioribus sint, ἀνθρώπων φάγοι τε ὄντες καὶ πολυφάγοι ( id est hominiuori, & multiuori ) qui præclarum ducant, suos etiam parentes mortuos deuorare, simulq; palam alienis vxoribus misceri, & matribus, & sororibus. Quamuis verò subdat, se horum fide dignos testes non habere, & anthropophagiã moris esse Scythici, oculatus tamen, vt dixi, testis D. Hieronymus est, qui planè ad hunc Strabonis locum respexisse videtur, ideoque testimonium hoc suum adiunxisse. Porrò Cæfarius; Qui de purgatorio, inquit, dubitat Scotiam pergat, purgatorium S. Patricij intret, & de purgatorij pœnis amplius non dubitabit. Vbi Hyberniã quidem, & Scotiam ille confundit,*

prout

prout in margine à quodam rectè notatum; sed confusione illa vetere, qua idem sunt Scotia, & Hybernia. Sancti verò Burchardi vitæ auctor Egilvvaldus, ipsum, & Sanctum Bonifacium ex Anglia, seu Britannia venisse docet; Sanctos verò Kilianum, Columbanum, & Gallum è Scotia, idemque de se ipso profiterur ipsemet S. Bonifacius: de eodem, & de se ipso S. Burchardus: sed Kilianum è Scotia huc in Franciam venisse asserit. Licet igitur in hodierna recentiore Scotia, in vrbe Rosmarcky, D. Bonifacij patriam collocet Thomsonus, ea tamen olim, vt audijmus, Anglia, vel Britannia dicebatur, & Hybernia Scotiæ sibi nomen etiam vendicabat. Quia tamen ex Hybernia ista, Scotorum pars quædam egressa est, in eaque Britannia ora, quam Picti iam habebant, vt supra dictum; confederunt, ij quidem, principio, à duce suo Rheuda, dalrheudini dicti fuerunt, vt ait V. Beda, postea tamen Pictos inde ipsos exegerunt, & Boreale totum illud latus obtinuerunt, ei que vetus gentis suæ nomen indiderunt, ita vt Scotorum gens vna fuerit, sed Scotia duplex facta sit; vna vetus, & propria in Hybernia, recentior altera, in Septentrionali Britannia. Vnde factum, vt siue ex Hybernia, siue ex Aquilonari Britannia, diuini verbi præcones venirent, ij Scoti omnes appellarentur: & etiamnum hodie, in Germania, Scotorum monasteria quædam nominentur. Fuerunt enim illa pijs à maioribus excitata, quod se ipsi Scotorum istorum, quorum spiritualium participes facti fuissent; debitores, vt ijs, in carnalibus ministrarent; profiterentur. Ea interdum, apud veteres, hospitalia Scotica vocantur. vt ex Meldensis Concilij capite, quod in Francicarum legum volumen relatum est; intelligitur.

## IIII.

## DE REGIONE IN QUAM VENIT

S. KILIANVS.



Anc variè Scriptores appellant, V. Beda in Martyrologio *Austriam*: Viterbiensis *Theutonicorum Occidentalium terram*: Irenicus *Menigaugiam*: S. Burckardus

Prologo.

Epist. ad Zach.

l. 2. hist. c. 1.  
l. 2. vitæ c. 11

l. 1. hist. c. 1.

Rom. 15.  
Lege Beatû  
Rb. l. 2. f. 92

l. cit.

p. 17.

l. 3. c. 76

D 2

&amp; idem

l. 2. c. 11.  
Anno 697.

l. c.  
l. 1. Geneal.  
Aust.

R. begino.  
Otto Frising  
l. 5. c. 20.

lib. 1. hist. S.  
Bonif.

Gatw.

Tritem. in  
Compendio  
Annal. R. 17  
Otto Fris. l. 1.  
c. 25.

l. 3. c. 76.  
l. 4. c. 7.  
Sabell. Enn.  
10 l. 3.

Alciatus l. 2.  
disp. c. 22.  
Adr. Iun. in  
Batavia.

Hotom. c. 4.  
c. 5. Fran-  
co Gall.

l. 2. Com. In-  
ris c. 9.

& idem Irenicus Franciam : Auctor noster Franciam Theutonicam, vel Orientalem : Sigebertus Ostrofranciam : Viterbiensis rursus, & plerique hodie omnes, Franconiam. Et primi quidem nominis ratio patet, si meminerimus, quod & Lazius notavit, à Francorum regibus, Lugdunensem Galliam, in qua Burgundi, Narbonensem, & Aquitaniam vocatam Neustreich, siue Neustriam, & Westrasiam, id est, Occidentale regnum : terras verò illas, quæ à Mosâ erant, non ad Rhenum tantum, ut vult Lazius, sed & ultra, quemadmodum vel ex Bedæ verbis, quæ infra proferam; apparet; Ostereich, id est, Orientale regnum, ceu Austrasiam, vel Austriam : fuitque isto modo Franconia, ipsius Austriæ pars. Et eadem notione utitur Gregorius II. Pontifex cum omnibus in Orientali plaga constitutis salutem precatur. Secundi verò nominis, expedita ratio est, cum qui Rheno propiores erant Germani, eorum qui versus ortum, in interiore Germania, longius funderentur; respectu, Occidentales nominarentur. Tertium, significare videtur Mœni agrum, sicut & hodie Rheingauia, seu Rheingaugia dicitur. Quarti, & sequentium, quæ ex ipso pendunt; quænam causa sit, quot pæne calami, tot opiniones. Una Francos dictos putat à Franco, vel Francione. sed hunc aliqui Priami filium aiunt, alij Hectoris, nonnulli etiam Anthari Sicambrorum Regis, hisque postremis, ob Hunibaldum nescio quem, à Tritemio laudatum; assentitur Irenicus, & Beroaldus. Altera, Phirassos, apud Ptolemæum in Scandinavia populos, esse Francos tradit. hancque vir ævo nostro egregiè litteratus Adrianus Turnebus excogitavit. Tertia, vult à ferocitate Francos appellatos, in eaque sunt Ado, Godefridus, Urspergensis. Quarta, à libertate quam nomine isto importari agnoscunt Itali, Galli, Germani. Hanc enim adeptos eos omnes, refert Turpinus, qui, ad S. Dionysij ædem constituendam, opis aliquid contulissent. Alij verò hanc eos, & sibi, & alijs, quos defendendos suscepissent; armis peperisse. sicque tam præclaro nomine insignitos. Iam verò eos esse Gallos indigenas, affirmat Franciscus Connanus, & aliquo cum Germanorum conuicio, parum sanè tanta hominis alioqui doctissimi fama digno, Genebrardus; Puto, ait,

nobile-

nobilitatem Gallicam esse aboriginem, nec ortam è tam impuro Franconum sanguine. Rursūq; ; Franci, natio Gallica & indigena, non Germanica & c. E contrario verò, aduenas, & quidem è Troiæ fauillis, & cineribus alij vti paulo ante indicatum; Alciatus è Scythia: è Scandinauia Turnebus: è Chaucis tam maioribus qui inter Albim, & Visurgim, quam minoribus, qui inter Visurgim, & Amasium (hodie Weser vnd Ems) Hotomanus: è Sicambris Beroaldus, & à se ipso dissidens postea, Genebrardus. Longum foret, quid in hisce omnibus vel proberur, vel improbetur; argumentando patefacere. Veteres tantum è quibus veritatis historicæ radius aliquis, tanta in caligine, oriatur; complures laudabo. Nam de Francis altum alioquin apud Ptolemæum, Plinium, Strabonem, similesque Geographos silentium.

lib. 2. & 3.  
Chron. f. 190

174. 235.  
Iren. lib. 3.

c. 76.

l. 6.

l. 6.

l. 3.

## V.

QVI FRANCORVM, FRANCONVM VE  
MEMINERINT AVCTORES.

*Et primò qui è vetustioribus Græcis,  
Latinis, Hebrais.*

**P**Arthenius Phocensis, vel vt interdum etiam vocatur; Nicænus, Mithridatico olim bello à Romanis captus; hisce apud Bizantinum Stephanum verbis scripsit. φράγγοι ἔθνος Ἰταλίας τῶν Ἀλπεων ὄρεων ἐγγύς. Corrigit Beroaldus βρέγγος, quòd hi à Strabone lib. 4. nominentur, non Phrangi, seu Franci. cum tamen ne hi quidem Brenchi in Italia sint, sed tantummodo cum Noricis, & Windelicis versus Italiam tendant, non autem, vt ipse ait; inter Noricum, & Windeliciam sint. Ego cum rationem & causam mutationis nullam videam, nihil muto, & ex huius saltem sententia noto, Francos in Italia, propè Alpes, fuisse. præsertim cum Celtæ in Transpadana Italia ab eodem ponantur Strabone, libro sequenti, Insubres scilicet, Boij, Gesatæ &

I.

l. 4. c. 7.

Senones: Celtarumque nomine Germani, etiam interdū comprehendantur.

II. Cicero ad Atticum Epist. 10. lib. 14. *Redeo ad te. Bessos, Sueuos, Francones.* Videntur tantæ huic Franconum antiquitati, Manutius Italus, & Lambinus Gallus minus propitij. Veteranos igitur Cæsaris duces conquirunt, in horumque populorum nomina subrogant. vt sit; *Redeo ad Thebassos, Scauas, Frangones.* Ego verò Scauam noui à Floro, Plutarcho, Eutropio etiam insignitè laudatum: Sed Thebassi quinam sunt? Qui Frangones? De illis nihil habent illi dicere, sed in his Ciceronem lusisse volunt, & pro Phangone apud Dionem noto duce, à frangendo Frangonem dixisse. Cur non Phagonem, quasi qui omnium bona, & fortunas deuoraret? Ludere profectò, & illudere videntur. cum fateatur Manutius in antiquis libris esse Francones, in vno tantum ferri libro, Frangones. Potest verò hie eorum ludus ex ipsis etiam Tullij verbis coargui. Scaua, vt ex Eutropio, & Lucano patet; mortem iam obierat, ista cum Tullius scriberet. quomodo eum ergo extimescit? *Redeo*, inquit, *ad te*; si *ad Thebassos* legas, quomodo ad eos, quorum nulla adhuc fuerat mentio? Non, inquit, ad hos redit, sed ad eos, quibus tranquilla Respub. non placet. At istud ne antea quidem vsquam positum. Ad Atticum verò se redire ait, id est, ad Atticum scribentem; seu ad ea de quibus ipse scripserat, in quibus erat sermo, & spes quædam de Bessis, Sueuis, & Franconibus iniecta. Nam cum ad reliqua iam respondisset, breui digressiuncula, extra ordinem, & ex abrupto, de Attici nausea, num abijisset, interrogabat: suamque ea de re coniecturam ex ipsius literarum breuitate, quemadmodum Epist. 8. indicat, petitam inseruerat. Hinc igitur, *Redeo ad te*, disertè iam quæ sequuntur, scribentem. Et non coniectura, sed aperta ratio ex eadem epistola octaua, & nona sumi potest: in quibus, *Gallos, Hispanos, Germanos, illasque nationes* commemorat, è quibus sunt Bessi, Sueui, & Francones. Bessos ferocissimam in Thraciagentem esse constat, de qua D. Hieronymus. *Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant, stridorem suum in dulce crucis fregerunt melos.*

Epist. 3. Epist.  
Nepos.

Thra-

Thracēs verò pænè Germanos esse, Getisq̄ue Sueuos esse ὁμῶς conterminos, læpiùs ait Strabo. Vnde & à Ptolemæo in extremo inferioris Pannoniæ, Teutoburgum. Quinam verò sunt illi pelliti, nisi Getæ, & Germani? De illis Ouidius.

*Hic mihi in Euxino bis tertia ponitur æstas  
Littore, pellitos inter agenda Getas.*

De Germanis verò Tacitus. *Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter: Vteriores exquisitiùs, vt quibus nullus per commercia cultus.* De fennis, qui vltra Vistulam, olim Germani, vel Germanis vicini Sarmatæ; Mira, inquit idem, *feritas, fœda paupertas. victui herba, vestitui pelles, cubile humus.* Cæsar lib. 4. de bello Gallico: *In eam se consuetudinem Sueui adduxerunt, vt, locis frigidissimis, vestitus, præter pelles non habeant.* Isidorus verò, *Mastruca*, inquit, *vestis Germanica, ex pelliculis ferarum.* Et licet etiam de Scythis Iustinus; *Lanæ ipsius vsus, ac vestium ignotus; pellibus tantum ferinis, aut marinis vestiuntur.* ad Germanos tamen D. Hieronymum aspexisse, *Bessorum vicinia ipsa conficit.* & epistola eiusdem 135. in qua Germanos laudans, Getis eos confociat. *Quis hoc, ait, crederet, vt barbara Getarum lingua hebraicam quæreret veritatem? & dormitantibus, imo contendentibus. Græcis, ipsa Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur?* Beatus verò Rhennus est ipse quidem Germanus Germanis amicior: in Francones tamen eadem, qua Manutius & Lambinus, duritate. Nam è Laurisheimensi Bibliotheca manuscriptum Ciceronem nactus, hæc in eo se verborum portenta legisse narrat. *Redeo ad Tebassos, Scacuas, Frangones, & legi vult. ad Betasios, Atuas, Vangiones.* Ego verò, cum Betasij Germaniæ populi sint ab amne Mosa non procul, vt ex Tacito l. 20. Plinio l. 4. ipse probat, & Atuæ ij videantur, qui à Cæsare Atuatice, Cimbrorum Teutonumq̄ue soboles; vocantur; de prioribus duobus non inuitus assentiar, sed Frangones cur Vangiones potiùs quàm Francones dicamus? Nonne Betasij, Atuaticeq̄ue viciniore tum Franci quàm Vangiones? Ad veterem certè v̄sitatamque Franconum in Cicerone lectionem, suo etiam exemplo inuitant, vbi Francorum historiam ordiuntur; Auentinus & Paulus Æmylius: itemque libri alij omnes è manu etiam scriptis Codicibus expressi & editi.

lib. 7.

lib. 4. de  
Ponto, el. 10.Sub fin. de  
mor. Germ.

III. Iosephus Gorionides Iudaicæ hiltoriæ l. 5. *Cæsar in Occidente sub imperium adduxit Francos & Britannos.* Fuit verò Iosephus, vel idem, qui Græcè historiam etiam illam exequutus est, & Flavius nominatur, si ei qui eum Hebraicè, ac Latinè in Germania edidit; de auctore isto disputanti credimus. vel uti grauius à Ribera nostro in Nahum 2 probatū; alius quidem, antiquustamen. Quin verò si eidem illi Basiliensi editori libri 4. c. vltimum vertenti assentiri magis liberet, Iosephum hunc statuere oporteret, Nicolaum esse Damascenum, qui à Iosepho Flauio tam sæpè laudatur. Ita enim habet versio. *Templi opes, multi scriptores testantur, nempe ego Nicolaus Damascenus, sed & Strabo de Cappudocia.* At incauris lectoribus quã sæpè boni interpretes etiam imponunt! Hebræa siquidem oratione tantum, Hebræus auctor significat, multos scriptores idem, quod ipse scripsisset; & eodem modo, scribere. *Multi, ait, scriptores testantur, sicuti ego. Et sic Nicolaus Damascenus, & sic dixit Strabo Cappadox.*

*Alij deinceps auctores profani & sacri.*

I. Trebellius Pollio in Gallieno; Galli, ait, quibus insitum est, *luxoriosos principes ferre non posse, Postinium ad imperium vocarunt. Is Celticis, & Francicis auxilijs processit. Quod in eodem Gallieno enarrans Zonaras, ἐπολέμησε φερόγγοις, inquit.*

II. Vopiscus in Aureliano. *Apud Moguntiacum Tribunus legionis sexta Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, afflixit.*

III. Eutropius lib. 9. dios Francorum Reges à Constantino Magno captos, & bestijs obiectos refert: Francos verò ab eo in Romanas translatos nationes. Et hunc quidem, ait prologo Saxonicae Chytraus, primum è Romanis scriptoribus esse, qui Francorum meminert, sed falsò, uti ex iam citatis patet.

IV. Mamertinus in panegyrico Maximiani. *Franci ad petendam pacem cum Rege venerunt. Et, domitis oppressa Francis bella piratica.*

V. Panegyristes ad Maxim. & Constantinum. *Multa Francorū milia, qui Bataviam, aliasq; cis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, abduxit Constantius. Tu iam ab ipsis eorum Regibus auspiciatus es,*

simulq; & praterita illorum scelera punisti, & totius gentis lubricam fidem timore iunxisti.

VI. Alius ad Constantinum; Trucem Francum, ferina sola carne distentum, qui vitam prouectus sui vilitate contemnat, quantæ molis sit superare vel capere.

VII. Nazarius in Panegyrico ad eundem. Franci ipsi, prater cæteros, truces, quorum vis cum ad bellum efferuesceret, ultra ipsum Oceanum, æstu furoris euecta, Hispaniarum etiam oras infestas habebat. Et Reges eorum capti vocantur Ascaricus, vel, vt Panegyrico 8, Afacarus, & Gaius.

VIII. Alius ad eundem. Diuus Claudius Constantini Pater terram Batauiam, sub ipso quondam alumno suo, à diuersis Francorum gentibus occupatam, omni hoste purgavit, nec contentus vicisse ipsas in Romanas transtulit nationes, vt non solum arma, sed & feritatem ponere cogerentur. Et. Quid loquar rursus intimas Francorum nationes, non iam ab his locis, quæ olim Romani inuasert, sed à proprijs ex origine sua sedibus, atque ab vltimis Barbariæ littoribus auulsas, vt in desertis Galliæ regionibus collocata, & pacem Romani imperij cultu iuuarent, & arma delectu. Rursum; Sciunt posse Franci transire Rhenum. quos ad necem suam libenter admittas, sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. Vbi nunc est illa ferocia? Vbi semper infida mobilitas? Iam ne procul quidem Rhenum audetis attollere, & vix securi flumina interiora petitis. Affecisti pœna temeritatis Reges ipsos Franciæ, qui per absentiam Patris tui pacem violauerant. Captus Rex ferocissimæ nationis inter ipsas, quas moliebat, insidias. Agrippinensi ponte inchoato, pacem petierunt Franci: nobilissimos obsides obtulerunt. Et ponte illo fiebat, vt ibi calcaretur Rhenus, vbi iam plurimos hauserat amnes, quos hic noster ingens fluuius, inquit, & barbarus Nicer & Menus inuexit.

IX. Alius ad Maxim. & Constantinum. Arat nunc mihi Camaus, & Frisius & ille Vagus, ille prædator, exercitio squalidus operatur. O victoria multiuga, qua Gentes Francorum penitus excisa. Recursabat in animos illa sub D. Probo, & paucorum ex Francis captiuorum incredibilis audacia, & indigna felicitas, qui, à Ponto vsque correptis nauibus, Græciam, Asiamq; populati, nec impune pluresq; Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremo nauibus quondam victorijs nobiles ceperunt Syracusas: & immenso itinere peruecti Oceanum, quæ terras rupit, intrauerunt, atque ita euentu temeritatis

NB.

derunt, nihil esse clausum piraticæ desperationi. Tuo Maximiane Auguste nutu. Nerviorum & Treuironum arua iacentia lætus, postliminio restitutus, & receptus in leges Francas excoluit.

X. Eumenius ad præsidem Gallicanum pro scholarum restauratione. Hæc ipsa quæ modo desinit esse Barbaria, non magis feritate Francorum velut hausta desiderat. &c.

XI. D. Hieronymus in S. Hilarionis vita. Candidatus Constantij Imperatoris, rutilus coma, & candore corporis indicans prouinciam (Inter Saxones quippe, & Alemannos, gens eius non tam lata, quam valida, apud historicos Germania, nunc verò Francia vocatur) antiquò, hoc est, ab infantia possessus à demone, secretò ab Imperatore euectionem petijt. Frisios Occidentales, Gueldenses, & Hollandos hanc gentem interpretatur Beroaldus, sed minùs appositè, cùm hi quidem iuxta Saxones sint, non tamen inter Saxones, & Alemannos. Nostri, verò Francones inter utrosque sunt, & multo magis etiam olim fuerunt. Pergit D. Hier: *Videres de ore barbaro, & qui Francam tantum, & Latinam linguam nouerat, Syra ad purum verba resonare.*

XII. D. Ambrosius Epist. 29. *Maximus à Francis, & Saxonum gente victus est.*

XIII. Saluianus lib. 4. *Saxones ferè, Franci infideles, perfidi, periuri. Alemanni ebriosi. Vnde & illud Valentiniani; Francum amicum habeas, non vicinum.*

Goltzius Her  
bipol.

XIV. Orosius lib. vlt. Stetisse Francos ab Honorio Imperatore contra Stiliconem, eiusque gentes Alanos, Sueuos, Vandalos.

XV. Claudianus eadem.

XVI. Ammianus verò sæpissimè Francorum res attingit. Nam tradit lib. 15. pro Constantino fortiter crebrò decertasse, in eius regia frequentes fuisse. L. 12. eos Iuliani Apostatæ temporibus, Coloniam Agrippinam obsedisse, accepisse, vt à Romanorum seruitute ipsam liberarent. Ibidem eos, *Salios* dictos, qui ad Salam apud Toxiandriam sedes fixissent. Salam verò in Franco-nia nostra esse satis constat, vocaturque is à Strabone *Salas*. *inter quem, ait, & Rhenum Drusus bellum gerens, ac feliciter procedens, mortuus est, dictus Germanicus.* Sed de Sala iterum in Eguinartho. L. 17. & 20. *Regio Francorum, quos Attuarios vocant, inquietorum hominum ultra*

l. 7. f. 281

Rhe-

Rhenum, versus Orientem scilicet. L. 30. Perijt in Francia Macrianus Rex, quo cum Valentinianus Imperator ad Ripam Rheni, propè Moguntiacum, pacem fecerat. L. 31. Mellobaudem Francorum Regem, sortem & bellicosum fecit Gratianus domesticorum Comitem, & Legatum.

XVII. Iustinianus Imperator in officio præfecti Africæ.

XVIII. Procopius l. 1. Germani, qui nunc Franci vocantur.

XIX. Sidonius. Francorum penitissimas paludes intrares venerantibus Sicambriis, qui & multa de Francorum specie, cultu & armorum peritia in Panegyrico Iul. Valer. Maioriani.

XX. Gregorius Turonensis tota historia.

XXI. V. Beda l. 1. c. 6. & 11. Franci, & Saxones infestabant littora.

XXII. Agathias ex Germanis Francos esse docet l. 1. eodemque Christianos, quorum consuetudine, ab arborum lucorumque cultu Alemani abducerentur.

XXIII. Explicat de ijs etiam nonnulla l. 3. Zonaras.

XXIV. Aimonius, siue vt alijs in libris legitur; Annonius copiosissimè. neque Orientalium Francorum mentionem raram iniicit vt l. 4. c. 74. 79.

XXV. Venantius Fortunatus l. 7. ad Sigemundum. & l. 9. in Epithaphio Chlodoberti. & apud eum, Radegundis de excidio Thuringiæ,

*Vt me commendes Francorum Regibus oro.*

*Qui me materna sic pietate colunt.*

XXVI. Eguinartus, in vita Caroli M. Sala fluius, qui Thoringos & Sorabos diuidit; à Francis qui Orientales dicuntur; incolitur. Vnde & illa tam celebris SALICA LEX, de qua Sigebertus Anno 422. Otto lib. 4. cap. penult: Lazius l. 3. de migratione gentium. Paulus Æmilius in Philippo longo, Alciatus l. 2. dispunct. c. 22. Couarruias Practic. quæst. c. 1. n. 8. alij.

XXVII. Otto Frisingensis l. 4. Franci Rheno transiisso, Romanos qui ibi habitabant, primò fugant: post, captis Tornaco, & Cameraco Gallie vrbibus: ac inde paulatim progredientes Rhemos, Suesionem, Aureliam, Agrippinam, Treuerim subiugant. Et l. 5. c. 9. Erat Francorum termi-

nus (tempore Dagoberti) ab Hispania usque in Pannoniam, duos nobilissimos ducatus Aquitaniam, & Baioariam. Similia l. 6. c. 17.

XXVIII. Godefridus Viterbiensis istum imitatus parte 17. Anno 881. Arnulphus, inquit, totam Orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicum regnum vocatur, id est, Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Phrysiam, Lotharingiam, rexit. Et anno 919. Mihi ex nonnullorum scriptorum auctoritatibus patuit, regnum Theutonicorum, quod imperator Fridericus nostro tempore possidet, partem esse regni Francorum. Ibi enim primi Franci fuerunt, cis citraq; Rhenum, quæ hodie Francia Orientalis, usque ad terminos Bauariæ appellatur. Francia verò Occidentalis est regnum illud, quod est cis citraq; Sequanam, & Ligerim fluuios. Rursum. Caroli M. tempore, Regnum Francorum, tota Gallia, id est, Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisq; Germania, quæ est à Rheno, usque ad Illyricum, vna Francia fuit.

XXIX. Rhegino Anno 575. Mortuo Pipino Rege, Ludonicus filius, qui ad patris obitum fuerat, apud Francofurt, Orientalis regni principalem sedem residebat.

XXX. Luitprandus Ticinensis l. 1. c. 6. Romanam Franciam vocat, id est, Galliam, quæ Romanis paruerat, & à Francis occupata iam erat, sed ita, vt in ea Romanæ adhuc linguæ vsus esset plurimus. Vnde & apud Gallos hodierna phrasis, loqui Romanè, pro, non loqui Germanicè, seu Francicè, prout Franca illa lingua vetus erat, de qua D. Hieronymus, & Otto Frising. l. 4. c. penultimo, Viterbiensis c. 1. par: 17.

In Hilar.

XXXI. Fridericus II. Imperator Constitut: Neapol: l. 2. tit. 32. & 33. de iure Francorum.

XXXII. Petrus de Vineis Imperatoris huius Cancellarius, suis in Epistolis, Francos vocat, eos Germanos, quos in Neapolitanum regnum Fridericus traduxerat.

XXXIII. Nauclerus generat: 27. Carolus magnus rex Francorum dicebatur, quod idem erat, ac si nominatus fuisset. Rex Germaniæ, & Galliæ, Nam clarum est quod eo tempore, omnis Gallia Cisalpina, & Germania etiam à montibus Pyreneis, usque in Pannonias Francia dicebatur. Illa id est, Germanica, Francia Orientalis; alia, id est, Gallica, Francia Occidentalis.

Addi

XXXIV. Addi queant Fritemius, Beatus Selestadiensis, Papius Gallus, alij, sed, omnium instar, sit in libro de Romanorum itinerib. è Tabulæ antiquæ fragmentis, D. MARCVS WELSERVS, non in Augustanorum magis, quam in doctissimorum hominum senatu, Consul.

## VI.

## QVID DE FRANCORVM NOMINE,

## LOCO, ET PROPAGATIONE COLLIGEN-

## DVM SIT.

**R**Edco ad lineam, & è tam multis paucula quædã conficio, ac *primo* quidem eorum mihi magis arridere sententiam, quibus à libertate Francorum, nomenclatio ducitur. Vidimus enim iam quot, & quanta, vt vel ipsi liberi manerent, vel alios liberos facerent, itinera, & bella, exceperint, & accedit loci vbi, vt iam iam attingam; olim versati sunt, similis appellatio Frisiorum, cum & hodie in Saxonia, Westphalia, totoque pænè Belgio fry & apud nos *frey* liberum significet, sicuti apud eosdem omnes, & apud Gallos, Italosque ipsos nomen, illud *Frank*, vel *franq*. Et Reineccius quidam tomo 3. fol. 411. ita vocatos vult, quasi sint *frenen ancken* id est, liberi coloni, cum, vt ait; in Thuringica dialecto, dictio *Ant* adhuc resideat. Alius vel ab eo Francos nuncupatos censet, quòd egregiè cum suam rùm amicorum libertatem illo armorum genere tuerentur, quod *Fränckischen Hacken* vocant; Apollinaris & libro 2. Agathias, anconem; vel à veterum vocum aliarum coniunctione. Fuit enim apud veteres Germanos, vetus vox *Far*; quæ hodie, vt & aliæ complures; cum prothesi *Gefahr* dicitur, & significabat quemadmodum etiam nunc, periculum, & quod ex periculo sæpè oritur, detrimentum. aut quæ vtrumque interdum creat fraudem. Vnde in antiquis certorum contractuum, & donationum formulis legitur, *SINE FARA*, id est, absque periculo, detrimento, &

I. De Nominibus.

fraude. Fuit & alia vox, quæ nihil adhuc mutata manet, *Kit*, vel *Quitt*, id est liber, & immunis. Vnde Gallorum, Hispanorum & Italicorum hodierno etiam sermone receptissimum *quitter*, *quittare*, *quittanza*. Ex hisce igitur duabus voculis *Far* & *Kirt*, metathesi, & aphæresi cum facillima, tum vñtatissima; dicitur *Frank*, quasi *der fahren kit*, *Farenkus*, & ut Græci libentius loquuntur, *Pharangus*, ut Latini, *Francus*, aut *Franco*, ita ut eadem voce se liberos profiterentur, immunesque ab omni periculo, & detrimento, vel amicis inferendo, vel ab hostibus accipiendo; & rursus, fraudis, doli que omnis expertes, contra vulgatum de ipsis, multorumque libris & sermonibus iactatum sermonem, de quo iam supra in Saluiano. Atque hoc ut credere liberet, mouere queat, qui Germanica plurà interdum cum explicet, fluuium etiam affert l. 3. c. 16. *Bodincum*, & significat, inquit, fundo carentem. quasi *bodenskit* / seu, ut hodie malimus, *bodenloß*. quemadmodum & c. sequenti, *Bergomates*, ait, *dicuntur vitam in montibus degentes à nostro scilicet Berg / seu monte*. Vnde verò primogenium illud *far* & *faren* / an ab Græco *περῶν*, cuius eadem penitus notio, cum ex *w* sæpè *ph* aut *f* existat, totiesque in *Panegyristis*, ut etiam supra videre licuit, *piratæ Franci* vocentur; prætermitto. Sunt enim hæc iam plus satis. & originationem recte *ἀλάζονα μάγνηα* dixit Galenus. Quemadmodum verò apud Plinium l. 26. c. 4. *Theuto* & *Theutonus*, sic *Franco* & *Francus*, vel etiam *Franconus*, præsertim, cum *prisci Germani Francono* dixerint pro *Francken* / ut ex *Frisingensi perantiqua Testamenti noui versione planum facit* l. 2. fol. 107. *Beatus*.

## D E L O C O.

*Sygambros*  
scribi oportere docet *Lipsius* l. 1. *Antiq.* c. 6. & de his *Dionysius* l. 55.



ECVNDÒ certum puto, *Francos* in ijs locis confidisse, quæ inter *Albim*, & *Rhenum* sunt, vbi à *Ptolemæo Chauci*, *Busactores*, *Frisij*, *Chemæ*, seu *Chamani*, & *Sicambri* notantur, quemadmodum ex supra citatis intelligitur, *Panegyristis*, *Oforio*, *Claudiano*, *Sidonio*, *Eutropio*, *Ammiano*, *Procopio*, *Beda*: *progressos* deinde

de

de versus Occidentem, transmisisse Rhenum, ac in Gallias sese infudisse: Versus Meridiem verò in Germaniam istam; in qua hodie nos; venisse, siue ijdem fuerint, qui Rhenum transferant, siue alij, qui citrà constiterant, siue ambo potius diuersis occupationibus, & temporibus. Hinc enim, & Francofurtum, vbi Mœnum Franci transferunt.

DE GALLICORVM GERMANICORVMq; Francorum necessitudine.

**E**RTIÒ. certum item existimo, eos qui Francorum hodie nomen gerunt, quorum alij in florentissimo quondam Galliæ regno sunt, & Occidentales Franci, aut Gallofranci quandoque vocantur; Alij hac in nostra Franconia, & Orientales Franci, aut Germanofranci appellantur; à primis illis inter Albim, & Rhenum Mesopotamijs sotos, ac propagatos esse. Id enim apparet ex eo, quod veteres Geographi, & historici, nullos ijs in Galliæ, aut Germaniæ partibus Francos ponunt, in quibus hodie tamen sunt: Contrà verò, in interamnibus locis illis plerique collocant: & posteriores ferè scriptores idem ipsum omnes loquuntur. Hinc enim & Anno Domini 499. cum primus Francorum rex Christianus baptizandus esset, ei S. Remigius dicebat. *Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Et Chariberto Regi l. 6. Venantius, *Cum sis progenitus clara de gente Sigamber.* prout ex Coloniensi & Treuirensi manuscriptis Codicibus, quemadmodum alia, quæ in Calaritano viriosa; plurima, corrigit mihi percarus P. Christophorus Brovverus. An verò à primis illis ita defluerint, vt primò in Germaniam nostram venerint, & inde in Galliam, an verò contrà è Gallia in Germaniam commigrarint; quæstio est. Illud plerique affirmant, neque affirmationi argumenta desunt. Istud tamen mallent, Gallorum antè nominatorum aliqui. Ad quam eorum opinionem dux, & auctor esse quodommodo videatur Panegyristes supra citatus, & Tacitus dum ait. *Quæ nationes è Germania in Gallias commigrauerint, expediam.*

lib. de Germ.

Vali-

Validiores olim Gallorum res fuisse, summus Auctorum Diuus Iulius tradit, eoq; credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim annis obstabat, quo minus ut quæq; gens eualuerat; occuparet, permutaretq; sedes promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia diuisas? Igitur inter Hercyniam siluam, Rhenumq; & MOENVM amnes, Heluetij, vltiora Boij, Gallica vtraque gens, tenuere. Quamuis verò ista de Gallis ad Gallofrancos traferri fortè queant, quia tamen nulla explicatè Francorum mentio est, si minus eò contenti, quod indubium magis est; Francos omnium primò sedem in Gallia fixisse, Anno Domini 456. quemadmodum, suis in Annalibus nunquam satis laudatis, Reuerendis. & Illustrissimus ostendit Baronius: Deinde vtramque Francorum propaginem ita communi à radice deduci potuisse, vt neutri, ab alteris, sed vtrique à veteribus tamen Francis per vias, colonias, aut copias, causas, rationesq; diuersas extiterint: Sicque, si non Germanofranci, Gallofrancorum parentes sint, aut contrà; ipsi tamen inter se ambo fratres, & consanguinei sint, eorundem maiorum satu editi, vt meritò magna inter eos caritas, & necessitudo vigere debeat. quemadmodum, in quadam ad Reuerendissimum nostrum IULIVM Gallica Epistola, magnum illud Galliæ columen & ornamentum, Heros Guisus, cum Reuerendissimi huius nostri, in veterè Catholica religione, studium, & Zelum audijisset, non ita multò antequam regijs insidijs occumberet; verè, Christianeq; perscripsit.

## VII.

## DE HERBIPOLITANA VRBE.



Ria hic potissimum exequar. I. Quomodo urbem hanc veteres appellarint. 2. Quando ædificata sit. 3. & postremo, Quæ causa nominis. *Primum*, S. Bonifacius, & auctor noster bis oppidum appellat Orientalis Franciæ, quod lingua Francorum vocatur *Wirtzburg*: Egvaldus oppidum *Wirtzburgense*, & postea *Wirtzburg*

nouam.

Hist. S. Bonifacii  
chardi l. 1.  
c. 7. & 9.  
l. 1. c. 9.

nouam. Rursum S. Bonifacius castellum quod dicitur *Wirzburg*: V. Beda, pagum Austriae, & castrum *Wirceburg*: Sigebertus modo castrum Franciae Orientalis, vel Ostrofranciae, modo *Wirtiburgum*, & *Wirtziburgum*. Benjamin Iudaeus *Wirzburg*: licet malè ex Hebraearum literarum similitudine, & punctorum adiectione, hinc fecerit *Interpres*, *Daurasburk*. Trithemius *Poepolin* dicere voluit, & prout etià doctissimus, Medicinæ, hac in Academia, Professor, edito in Theatro, nuper citauit, *Marcopolin*: plurimi *Herbipolin*: adeo vt se monitum aliquando ex vrbe dixerit D. Cancellarius, *Virus Crepserus*, ne *Wirceburgensem* Episcopum, dum Romam scriberet, inaudito nomine, nominaret. In ritualibus enim voluminibus, archaïque Romanis, *Herbipolensem* tantum inueniri. Quod, etsi crebrum, vti etiam c. *Ilud Dominus extra de cler. excôm.* insinuat: vsquequaquã tamè verum non esse, argumento est *Zachariae Pontificis ad Gallia complures Episcopos Epistola*, dum *Burckardo Episcopo Wirceburgensi salutem dicit*, qui apud *Viterbiensem à Pipino Nano Caroli M. Patre*, dum legatus Romam mittitur, *Guerzeburgensis Episcopus dicitur*, quasi *Guerzeburgum* vel *Guerciburgum* vrbis etiam nomen fuerit. Sunt & nonnulli, qui esse hanc putent, quæ à *Ptolemæo Artaunum* inscribitur, adeo vt eam de se loquentem ita quidam fecerit:

*Me quondam Artaunum Ptolemæus tradidit esse:  
Nomine mutato nunc vocor Herbipolis.*

*Secundum.* Arx diu ante oppidum, eo in loco, & monte, quo & hodie visitur; ædificata videtur, cum adhuc *Egvvaldi* tempore vocaretur *Wirceburg antiqua*, oppidum verò *Wirceburg noua*, vel pagus, quemadmodum supra loquentem *Beda* audivimus. Mons verò ipse, à templo, quod in honorem *Beatissimæ Virginis Deo* dedicauit primi Christiani Francorum ducis *Christianus filius*, de quo infra; dictus est, vti etiam ab *Egvvaldo* notatum; mons *S. Mariæ*, sicuti & modo *Fraumenbera*; eo scilicet modo, quo *Erphordiensis mons*, olim quidem *Meruigisburk* vocabatur: Sed à *Dagoberto Francorum Rege* mons

l. 2. c. 4.  
in hist. S.  
Bonifacij  
l. 21. c. 1.  
Martyr l. c.  
Itinerar.  
l. de miracu.  
Tittelbac. &  
in comp.  
Reg. 50.

l. 2. hist. S.  
Bonifac:  
p. 17. an.  
751.

Europ. tab. 4

l. 2. S. Burk.  
c. 4.

l. cit.

*hist. Fran.*  
*l. 3. c. 76.*

*l. de bel.*  
*Gall.*

*Onuph de co-*  
*mitijs Imp.*

*decret. d. 80*  
*l. 2. cit. c. 2.*

*l. 1. S. Burk.*  
*c. 9.*

S. Petri, vti apud Scaffnaburgensem scribitur; nominatus est. Sunt porro testes Trithemius, Irenicus, urbem ipsam fuisse à primo Menigaugiæ duce Genebaldo constructam, Anno Domini 326. Quod si est; disquirendum nobis, quemadmodum à Beda, qui tanto post vixit; pagus vocata sit. Neque enim eo modo quo Cæsar Heluetiorum, & Sueuorum pagos accipit; loqui videtur, cum ciuitatem, quæ in pagos diuisa sit; nullam nominet. Neque etiam villæ dum vrbes constitutæ, quæ Imperij villæ, seu pagi & viculi quatuor haberentur, quemadmodum postea factum de Bambergæ, Vlma, Haganoa, Selestadio, & de Colonia, Ratisbona, Confluentia, Saltzburgo, de Ingelheimo, Altdorffio, Lichtenauio, Denckendorffio.

Reor equidem pagum dictam, vel quod pagi nomine, satrapia interdum, & vti veteribus Francicarum rerum scriptoribus vsitatè dicitur; Comitatus significetur apud Aimoinum, Rheginonem, Marianum, imò & D. Hieronymum in Eusebij Chronico, vbi de Syriæ Rege Demetrio & Oniæ Pontificis filio Onia narratur: vel quòd licet non omnino tunc noua, noua tamen adhuc esset, quoad nouam aliquam maiorem magnitudinem, quæ tum iam accessisset; rursumque licet non omnino tunc parua; cum ne in villulis & modicis ciuitatibus, Episcopos ordinaret; à Zacharia Pontifice monitus fuerit S. Bonifacius, parua tamen satis adhuc extiterit; donec ad eam, quam hodie videmus magnitudinem, quæ tamen non nisi mediocris est; paulatim excreuit. Sic enim vaticinatus S. Bonifacius. *Felix eris amodo Wirceburgum, & inter Germaniæ non ignobilis vrbes. Et quamuis temporibus, quarundam ciuitatum postrema habeatis; tamen exornata corporibus, Martyrum, inferior vltra non habeberis.* Certè Anno 1057, vbi iam è nostri huius Societatis I E S V Collegij parte, in partem alteram, per superpositam plateæ pergulam, transitus est; porta vrbis adhuc erat: & S. Stephani Cænobium, quod mœnibus iam inclusum; extra mœnia in suburbij visibat. quemadmodum ex Canonicorum factæ in nouo Monasterio per Adalberonem Episcopum, institutionis litteris perspicuum; ita vt rectissime in Sancti nostri festo, de ipso, ipsiusque socijs Prosa canat:

*Aucta.*

*Aucta quorum ex fauore  
Est præcelsa & honore  
Herbipolis ciuitas nunc eximia.*

*Tertium.* Wirceburgum porrò cur appelletur, duas potissimum circumferri causas video. Prior est quod Würs herbam significet, ideoque & Herbipolis, & Poepolis. At cur ab herba quaeso? Istis in montibus, & syluosis quondam locis, quænam herbarum tanta, vel copia, vel præstantia? Quanquam ne herba quidem præcisè Würs est, sed aromatica herba, vel aroma potius, uti piper, zinziber, cinnamomum, cuius hoc in solo, cæloque radiculam nescio an hominum quisquam vnquam viderit, legerit. Bambergæ, quæ & hodie glycyrrhizam dat; ista potius dignanda nomine. Posterior igitur alijs placet. Würs inquit, mustum est. & in arcis nostræ monte, alijsque circumstantibus, musti crescit plurimum. Cur ab vſitatiore ergo contritiorique vocabulo non effectum Mostburg? quasi verò non sint vites Wirceburgo, his in locis, multò posteriores. Syluæ, ac saltus, iuga hæc nostræ occupabant, non vineæ. Interrogatu maiores, quid sibi velit ab alto fago mons: quid sacris ille porcus S. Martini pridianus: quid ab iisdem Martinalibus ad Domini Natalitia vespertinus campani æris, hora quinta ad octauam, pulsus: quid alia id genus complura.

*Ibis in antiquas syluas, stabula alta ferarum.*

*Atque ubi nunc vites, tunc ardua sylua virebat.*

Et tamen in Sigeberto Vitiburgum idcirco quidam correxerunt, & Hebraeus quidam Elchanon Pragensis, annos ab hinc aliquos, *basishir* quasi Mustopolin indigitabat. Annonius l. 4. c. 81. *Natio, ait. Sclauorū est, sedens super littus Oceani quæ propria lingua VVetalabi Francica autem Vultzi, vel ut alij legunt; VViltzi vocantur. La Francis semper inimica.* Similia Rhegino, & Helmoldus, qui lib. 1. c. 2. Sclauorum populos cū enumeraret; de quibusdam tandem ait. *Hi quatuor populi, à FORTITVDINE VViltzi siue Lutici appellantur.* quasi scilicet diceretur, *das seynd deu.* An ab his ergo primò Wiltzburgum, deinde Wirtzburgum natum? Non impro-

G. Aen.  
1. Fast.

babile. fortè tamen ab arcis ipsius, vel primo, vel insigni quopiam Domino, qui Wiricus, aut Wircus, Wirfusue diceretur, Wirceburg vocitata est. *Primò.* Quia, prout iam supra dictum, ab arce ad urbem nomen hoc translatum. Videmus autem similiter arces, vrbesque plurimas isto modo certis à personis nomen mutuatas Amaburgum, Buriburgum, Carelburgū, Drusoburgum. etiam apud Gallos, quæ in villam abeunt, vti Abeuilla, Theonuilla, Remberuilla, quasi Abonopolis, Theonopolis, Rembertopolis. *Deinde.* Wiricorum, Wircorum, Wirforumque nomina olim fuerunt, suntque etiamnum non inusitata. Nam Theologiensis Abbas, in Treuirensi Episcopatu, fuit Wiricus Anno Domini 1160. & Abbas Arsteinensis Præmonstratensis Wiricus anno 1292. & Abbas Eptermiensis, vir nobilis, Wiricus de Alinbach anno 1400: Metensis Episcopus Wigericus in Reginonis supplemento, Anno 917: Waricus anno 1500 Episcopus Virdunensis. Et sua in familia, iam ab aliquot sæculis, Wiricos fuisse mihi affirmabat nobilis Vir D. Io: Binsfeld, cum de iuniore suo fratre Wirico loqueretur. Quid Guericos, Quiricosque memorem? in quibus nil nisi geminum nostrum *B* liquefcit. Vnde & supra Pipinus Guerceburgensem Episcopum dicebat. Sunt verò in Franconia adhuc ista Wircingi quidam: Est, vti audio; in Westphalia, Essenfeldia, obscurus quidem homo, sed qui & huc spectet; Wiricus Frank. inde ille veterum scriptis nobilitatus Wircetorix aut Vercingetorix Gallorum Rex in triumpho Gallico à Cæsare ductus, vt ait l. 43 Dio. *Tertiò* fuisse apud veteres crebrius Wirceburgum, quam Wirtzburg, aut, Würtzburg scriptum, antea significauit. Visum mihi porrò Breuiarium Anno 1509 hic editum, quod ipso S. Kiliani die festo, in lectione tertia, Wirtzburgum latina lingua interpretari, ait, *Virorum castellum.* Id factum putant quidam, quòd Wirzburg tunc fuerit totius prouinciæ propugnaculum et in *Wertzburg* / literis e, in i, & t, in z commutatis, oder ein *Mantliche Vestung.* Francones. n. se ex eo contra hostes suos defendebant. Hinc adhuc hodie in radicibus montis, vulgò in der *Künbach* / quædam rudera apparent ædificiorum, quæ demon-

In Monast.  
Trieffenstein

strare

strare videntur, eam partem vrbs in subsidium arcis munitam fuisse. At quæ ista obsecro latina lingua, quæ *Wirz* viros interpretetur? Nimum foret hæc pinguis, & obesa, sacro in libro, inscitia, nisi librariorum manus, pro *Wilzorum*, aut *Vircorum*, mendose *virorum* supposuisset. Quid Trithemiana Marcopolis? A quo Marco? & quamam cū *Wirzburg* similitudine? Scriptum scilicet erat *WIRCOPOLIS*, & per literarum priorum euerfionem, ac mutationem, noua extructa Marcopolis. quemadmodum t. 2. epistolarum Pontificum, Romæ iam editarum ponitur *Mertburg*, pro *Wirzburg*. Est alioqui Saxonie vrbs Marcopolis apud citatum antea *Helmoldum* l. 1. c. 74. vbi narrat Comitis in castro *Wintzeburg* cædem, & conuentum super ea Marcipolitanum seu *Merleburgensem*. De vltima verò ista particula *burga* dici potest, à *πύργος* dictam esse. Inde siquidem *Burgarij* in *Theodosiano Codice* l. 7: *burgi* in *Iustinianæo Codice* l. 6. de fundis rei priuatæ, & l. 2. de præf. præf. Afr. *Burgundiones* apud *Paulum Diaconum* l. 2. *Breuiar*, *Vegetius* l. 4. c. 10. *Castellum*, ait, paruulum, quem *burgum* vocant. Cæterum de *Herbipolis* nomine duplex sententia. Vna recentior, quam ab *Erebo* primus *Germaniæ* nostræ poëta laureatus *Conradus* *Celtes* accersit, vt sit *Erebipolis*, in qua *Deus* ille coleretur. Nul- lum tamen vsquam cultus huius vestigium. Alios postea deos proferam. Apud quos verò, nisi apud eos, qui ex omnibus pænè vocabulis aspirationem detrahunt, quibus apud *Augustinum* non homo, sed omo est; *Erbipolis* legitur? Altera, herbam, quam supra iam abieci; reperit, sed quam aptè, viderint *logodædali*. *Mixogræca* est, & in *Latio*, quemadmodū apud *Pliniū*; *mentagra*, pænè iocularis & inepta *Herbipolis*. Cū enim *Constantinopolis*, *Adrianopolis*, *Persepolis*, *Helenopolis* dicatur: cur non *Herbopolis*, aut *Herbæpolis*? Sed sapiamus vt pauci, loquamur vt multi. Si vetustiorum, in quibus vox hæc manuscripta esset, codicum, videre plus contigisset, aliquid fortè afferrem: nunc duo tantum hæc occurrunt. Vnum nomine isto, re vera non exprimi *Germanicum* illud *Wirceburg*, cū à *Wirico* sit, vt i probatum. Neque insolens est, vt aliud *Latino*, aliud

l. 1. Conf. c. 18

l. 26. c. 1.

lib. 1. de S.  
Burcardo.

Germanico nomine importetur. Eadem quidem vrbs est Argentina, & Strasburk, sed num eadem nominum vis? Alterum; fieri potuit, vt cum aduenientium huc Scotorum, & Anglorum quispiam didicisset, *Wurz* herbam Aromaticam, *Würgel* radicem significare, vel nostrorum etiam Francorum quispiam aduertisset; Herbipolim ilicò finxerint, idque nomen, quasi omen valde alijs placuerit. Huc enim alludere videtur *Egvvaldus* cum ait, *Florebat in Anglorum insula, vel patria sub Rege Christianissimo aromatica quedam Christi boni odoris areola* (sic enim libri habent veteres) *nobilis, vtique nobilissima Burckardi parentela.* Et

S. Kiliani prosa. *Odor quorum cum doctrina  
Tam remota quam vicina complet loca.*

Et S. Burckardi. *Per hos, Christiꝝ cultores,  
Extirpati sunt errores  
Et virtutum gignit flores  
Vinea Domini.  
In quorum sacra cultura  
Diuina adiecta cura  
Medicina datur pura salutis hominum.*

apud Bed.  
in hist. l. 5.  
Theodorus,  
de quo l. 2.  
vit. e Sancti  
Bonifacij  
f. 499.

Sic & in Sancti nostri historia toties seminum mentio, & S. Bonifacij, diuinorum plantationis, & contrariorum extirpationis. Nam quod in Hybernia, & Anglia viri essent Græcarum literarum scientissimi, eorum qui huc inde ventitarunt discipuli, libenter & sæpè Græcizabant. In veteri S. Burckardi Epitaphio, quod in suas noui Monasterij antiquitates Reuerendus, & Cl. V. eius Ecclesiæ Decanus D. Ioan: Wilhelm: Gantzhornius contulit; legitur. *Nobis tutela psychon, Somatonꝝ, medela.*

In eiusdem prosa *Clange, pange, ac hymniza  
Gaude, plaude, symphoniza.  
Vbi sapit mellifluum,  
Atque sonat dulcissuum,  
Seraphicumꝝ, εὐφώνως.*

Vide-

Videlicet prout apud Persium; *Eia tuum belle.* Rursumque in Sancti nostri prosa. *Adoranda, veneranda*

*Trinitatis est & sic.*

*Tres videns adoravit monadem.*

Ex isto igitur philellenismo, & nonnulla ad Germanicum sonum cognatione, Herbipolis fabricata, quam WIRCOPOLIN aut plenius Wiricopolin deinceps etiam vocarem, nisi nouam quandam urbem extruere viderer, cum è duobus iam vsitatis nominibus, vir alioqui doctus non defuerit, qui duos in Germania Episcopatus recensuerit, Wirceburgensem & Herbipolensem, seu, vt ipse loquitur; Herbipogenensem, Moguntino Archiepiscopo subditum.

*Symphoria:  
Champerius  
l. 2. de mira-  
bilib. mundi.*

## VIII.

DE S. KILIANI TEMPORE IN FRAN-  
CONIAM ADVENTVS, ET MARTYRII  
IBIDEM SVSCEPTI.



Anctum Kilianum bis Herbipolin venisse, narrat Auctor noster. Primùm quidem, cum è patria in Germaniam ingressus est: Deinde cum Roma, quò, vt infrà dicitur; hinc profectus erat; redijt. Et posterioris huius aduentus tempus ab Auctore nostro monstratur, cum ait. *Tunc præerat Romanæ Ecclesiæ Conon Pontifex.* At Cononi huic pontificatus impositus est Anno Domini 686, Calendis Nouembribus. tantumque menses II, dies tres, eum gessit, quemadmodum docet Sigebertus, Contractus, alijque veteres, quos & Onuphrius sequitur, vt facillè mendum in Mariano Scoto appareat, cum eidem annum vnum, menses XI. tribuit. Ipsemet enim subiungit illum die XXVII. Septembris Anno 687. obiisse. Ideoque hoc ipso 687. huc repedauit S. Kilianus, cum Pontificalem ab illo potestatem accepisset. Sunt qui scribant à Benedicto Papa, qui Ioannem, Cunonemque antecessit, in Germaniam vel ductum, vel missum, vel Episcopum creatum.

*Compilatio  
compendiosa  
post Sigebert.  
Hermann.  
Genebrard.*

fed

*Pantaleon  
de vir illust.  
Balens.*

*l. i. c. vlt.*

*l. i. vite S.  
Bonifacij.  
f. 482.*

*l. 3.*

sed errant. Sigebertus enim à quo his obiectus error videtur; Anno 685, tempore Benedicti Pontificis, nihil eiusmodi narrat, sed hisce tantum verbis utitur; *S. Quilianus Scotus, Wirtiburgensis Episcopus claret*; Non, quòd tunc Episcopus iam esset, sed quia postea fuit Episcopus, & in Sanctorum numero habitus, ideò ita loquitur. Crediderim verò huius ipsius Benedicti tempore, ideo claruisse, quia tunc primum, fidei propugnandæ Zelo, patriam exierit, longinquasque nationes istas petierit. Reginonis verba sunt: *Anno 612. Chilianus Episcopus VVurtzburgensis & Arnual eius discipulus clarescit*. At repugnant omnes. Martyrij verò annum Herbipolitani Annales annum tradunt 689: itemque ipsum Sanctorum Epitaphium, de quo infra, & Sancti Burckardi historia, quæ disertè sic. *Acta est noua institutio noui Pontificatus apud urbem Wirceburg, Anno Dominicæ Incarnationis 751: Anno verò 62. post passionem sanctorum Martyrum Kiliani, ac sociorum eius, quæ incidit in Annum incarnationis Dominicæ 689*. Ita vt errare certum sit fasciculi temporum Auctorem Wernerum, cum ad Annum 694, & multò magis Sigebertum, cum ad 697. sanctissimam eorum mortem reuocat. Scrupus tamen insignis, qui Chronologorum pedes non parum vexet; aperiendus. Fuit à Sancto Bonifacio Francorum Episcoporum Concilium Anno 742. habitum, vti referunt Carolmanni ipsius litteræ. In illo verò, post S. Bonifacium, primus inter Episcopos, recensetur Burckardus Episcopus Herbipolensis. Quomodo ergo Episcopatus Wirceburgensis, nouennio post, Anno Domini 751. erectus? Lambertus Schaffnaburgensis Anno 745. & 746. S. Burckardum ordinatum primùm Episcopum in Wirtzburg cõmemorat. Regino; *Anno, ait, 749, Burchardus VVurtzburgensis Ecclesie Episcopus, & Floradus Capellanus, missi sunt Romam ad Zachariam Papam, vt interrogarent de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regiam potestatem, Reges tamen vocabantur, si bene essent Reges*. Eadem & iisdem pænè verbis Annonius. nisi quod in exemplaribus nonnullis mendosè est, *Richardus VViziburgensis Episcopus & Fulradus Capellanus &c.* Marianus Scotus Anno 746. S. Bonifacium sedes Episcopales duas ordinasse, Wirceburgensem, & Eistadiensem, &

tum

tamen Anno 750. subdit: *Burckardus primus Episcopus VVirceburgensis consecratur, & sedit Annis 9.* Et hunc quidem, quasi per anticipacionem, priore loco Episcopatus initium tetigerit, interpretari liceret, sed eiusdem quoad finem elapsa numeri nota vna videtur, vt 39. aut 40 annis sedisse Burckardum scripserit. Eius siquidem vitæ Auctor, & Epitaphium quod postea recitabo; Anno 791. è vita excessisse testantur. Sigebertum verò quemadmodum exerrasse inficiemur, haud video. At concilij numeros corrigat fortè quispiam, vt non Annus 742. sed 752. legatur. Placeret. nisi fortissimus, religiosissimusq; Francorum ille dux Carolomanus repugnaret, quem, cum S. Bonifacio synodum conuocasse citata docet historia, eundemq; tamen sese principatu, & sæculi pompa omni abdicasse: ac religiosæ vitæ institutum suscepisse Anno 746. fatentur Sigebertus, & Marianus. Cum igitur aut in Concilij, aut in S. Burckardi vitæ numeros mendum irrepsit, & qui in concilio sunt, accurrata personarum, historiarumque descriptione firmentur, emendandum in vita illa erit Wirceburgensis Episcopatus principium Anno 741, post martyrum passionem Anno 52. Ipsique S. Burckardo in Episcopatu anni erunt tribuendi 50. Vnde & illa, quæ in S. Bonifacij historia sunt, *de Religione annos iam 60. & 70. calcata, de intermissis Annos 80. in Francia synodis, non ad Fanconiam, vbi ante S. Kilianum vel nulla, vel adeò exigua, vt pænè nulla dici possit; vigeat religio; sed ad Franciæ partes alias, de quibus supra indicatum; referamus oportet; Esse autem Concilium illud Ratisbonæ habitum, existimo, & cur existimem, dixi alicubi.*

## IX.

QVAE S. KILIANO ROMAM HINC  
PROFISCENDI CAUSA.



Ausam monstrat auctor ipsemet. *Vt apud Romanam, inquit, sedem, & integrum Christianæ religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet. Hibernia siquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæresi, Apostolicaq; censura dam-*

G

nata,

Aug. libris  
contra Pelag.  
& heres. 88.  
V. Beda hist.  
l. 1. c. 10.  
Ep. 4.  
l. 1. Ep. 3. 4.  
Præf. l. 1. in  
Hier. & l. 3.  
l. 3. contra  
Pelag.

Præf. in l. 1.  
& 3. Com-  
ment. Hier.

nata, quæ nisi Romano iudicio solui non poterat. Hæresis Pelagianæ decreta erant, Dei gratiam homini ad salutem minime necessariam esse: Originale peccatum non esse: solis naturæ viribus posse nos rectum, beatumq; vitæ cursum tenere: Ecclesiæ orationes, vti fides, vel infidelibus daretur, vel in fidelibus augetur, contemnendas. aliaque id genus perabsurda, quæ notant, & explodunt D. Hieronymus, D. Augustinus, S. Prosper, V. Beda, & alij. Cœpit illa statim post Domini Annum 400, Arcadij, Honorijque temporibus, sed valde cum tegetur, cœpit Anno 405. apud Chrysoptomam, & Isidorum Pelusioten, ab Ecclesiæ pastoribus, & doctoribus paulatim notari, Apud Hieronymum Anno 410, apertius etiam Anno 413. apud eundem; & magis, magisque deinceps. Cumque ex eo tempore, ad S. Kiliani constitutam iam ætatem, anni 260. & quod excurrit; essent, nondum tamen ea errorum Zizania erant in Hybernia omnino sublata, & extirpata. Fuit enim hoc opinionum genus valdè multis plausible. aded vt non defuerit, nostro isto dissensionum feracissimo sæculo, Filidinus Puccius, qui ab Orco hæreses istas reuocare conatus sit. Et apud aliquos reuocasset fortasse, nisi eum non mei duo contra ipsum libelli, sed bonorum Germaniæ Procerum Zelus, & Romani tribunalis auctoritas coercuisset, præsertim cum Illustrissimus, ac Reuerendissimus Saltzburgenfis Generoso D. Comiti Helffensteinio, vt ex eius quidem literis cognoui; narrarit, fuisse, & alium, ab eo de prædestinatione librum conscriptum, qui, si in hominum manus venisset, magnum doctis etiam, & bonis exitium allaturus videretur. Tanto verò altiores egit in Hybernia radices Pelagianismus, quanto fuit ijs Pelagius propior, & acceptior. Brito enim erat, Scotorum pultib. inquit D. Hieronymus, prægrauatus, Scoticaq; gentis è Britannorum vicinia, progeniem habebat. Et possent hæc quidem vtriq; Scotorum generi, de quo antè, accommodari, Brito tamen cum vocetur, ei potius accommodanda, quod in Britannia hærebat. Nam vt ex Prospero infra dicitur; Australem, Borealemque primò Britannia occupauit, & non longo inde pelago, vt esset omnino Pelagius, in Hyberniam transmisit. Illam ad Catholicæ fidei

sancti-

sanctitatem, ut reuocaret Cœlestinus Pontifex; emiserat olim Palladium archidiaconum, alium scilicet ab illo de quo sæpè D. Hieronymus, & Antifiodorensem Episcopum Germanum, de quo, eiusque socio S. Lupo V. Beda, & Constantius: sed paucis ita D. Prosper. *Venerabilis memoriæ Pontifex Cœlestinus, cui ad Ecclesiæ Catholicæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est; non segniore cura, à Pelagiano morbo, Britannias liberauit, quoniam quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanâ insulam studet seruare catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam. Scotos verò hic Hybernos vocari, testis in S. Patricij, apud Bedam, historia Probus, causam reddens, cur de profecione in Hyberniam toties à Deo monitus S. Patricius, tandem aliquando profectus sit, sed nondum Episcopus. Nimirum, ait, distulerat, quia sciebat quod Palladius Archidiaconus Cœlestini Papæ, qui quadragesimus quintus à S. Petro, Apostolicæ sedi præerat, ordinatus ab eodem Papa, directus fuerat ad hanc insulam sub brumali rigore positam conuertendam. Sed quâ Barbaram Hybernorum insulam, Palladij opera Christianam factam dixit Prosper; abnue-re videtur loco indicato Probus. Prohibuit, ait, Palladium Deus conuertere gentem illam, quia nemo potest quicquam accipere in terra, nisi datum ei fuerit de cœlo. Immites enim & feri homines recipere nolebant doctrinam eius. neq; ipse voluit longum transigere tempus in terra, non sua, sed reuerti disposuit ad eum qui miserat illum. Cumq; aggressus Palladius, mare transmeasset, & ad fines Pictorum deuenisset, ibidem vita decessit. Respondet Reuerendissimus, & Illustrissimus Baronius; Prospero Probum postponendum. Dicit tamen posset, conuertisse tam Cœlestinum, quam Palladium Hyberniam, quemadmodum ea occasione factum, ut S. Patricius eandem in messem diuinitus euocaretur, à S. Cœlestino mitteretur, & Episcopus consecraretur. Exinde vero, cum pura tritici segete, Pelagiana filix enata. ob quâ sese S. Kilianus ad apostolicam sedem conferre voluit, ut quemadmodum cum S. Petro S. Paulus Euangelium contulit, sic ipse ab illa purum, sincerumque Catholicæ fidei dogma perciperet: Apostolicaque illa in prouinciam contorta censura liberaretur.*

*l. 1. hist. c. 17.  
& s. l. 1 c. 19  
apud Sur.  
Baron. t. 5.  
Anno 429.  
in Chron: &  
l. adu. Coll.*

*Martyr. d. 17  
Mart.*

*Gal. 1.*

## X.

QVAENAM APOSTOLICA HYBER-  
NIÆ CENSURA FVERIT.

Ria sunt Ecclesiasticarum censurarum genera, excommunicatio, suspensio, interdictum. Excommunicatio hic esse non potest, quia in ciuitatem, vniuersitatem, corpusque huiusmodi aliquod conferri non potest. c. Romana §. in vniuersitatem, de sententia excommunicationis in 6. & dum idem capitulū copiose interpretantur; docent Couarruias & Henriquez. ille quidem libro variarum c. 8. & in c. Alma p. 1. § 9. n. 3. iste vero l. 13. c. 25. n. 4. Suspensio, & interdictum potest quidem c. si sententia eod. t. & c. de suspensione tamen Auctor loqui haud videtur. quia in eo, quem suspensio astringat; culpam esse aliquam oportet. Arg. c. 2. de constitut. S. Kilianus verò, Catholicus cum esset, nulla hæreseos, ob quam inflicta hæc erat; culpa obligabatur. Neque suspensio vniuersæ prouinciæ, aut populo, sed Ecclesiasticis tantū personis imponitur, vti eius apud Nauarrum definitio explicat. Interdictū ergo superest, quod apud Cantipratensem Thomam l. 2. c. 40. excommunicatio improprie vocatur, estq; , vt Iurisperitorum verbis utar; aut personale tantum, aut locale tantum, aut tam personale, quam locale. Et eorum quodlibet particulare, aut generale. De personali tantum, nullus Auctori sermo, cum Hyberniam prouinciam nominet: neque de locali tantum, cum extra Hyberniam, eo nullus teneretur. Postremum igitur fuit, idque non particulare, cum certis personis, aut locis nullis circumscribatur, sed Hybernos omnes, quoquo in loco, vbi hoc ipsum resciscerent; etiamsi eorum nullum proprium delictum esset complectatur; Ita enim interdictio fieri, quandoq; solet d. c. si sententia. & planum est in Hybernia multos tū bonos, sanctos, Catholicosque viros fuisse. Quemadmodum enim diuinitus illatæ morborum, bellorum, tempestatumque calamitates, bonos etiam sæpenuerò insontesque comprehen-

dunt:

Manual.  
c. 27.

dunt: ita & Ecclesiasticum interdictum. Sed cum eo diuina tantum officia, sacramenta, solennisque sepultura vetentur, nonnè, interdicto quamuis attinerentur; poterat S. Kilianus diuinum verbum ferere? si solius verbi Minister, vt hodierni hæretici; esse voluisset; poterat sanè: sed Baptismi etiam, Confirmationis, Eucharistiæ, aliorumque Ecclesiæ Catholicæ mysteriorum Minister esse volebat. ideoque & interdicto absolui cupiebat. Verum enimverò, antequam Romam venisset; num censemus, tanto ipsum tempore, Presbyter cum esset; num ipsius sympresbyterum Colomannum, sacris operatum non esse? Non opinor, sed, quemadmodum c. i. innui; sacra panè quotidiana peregisse ideoque potius existimarem fuisse interdictum, Hybernia sola inclusum: viros tamen sanctissimos; ne qua vllis aut hæreseos, aut Hybernicæ censuræ suspicio hereret, neue vllum ab vllò scandalum caperetur, & vt suam, in SS. Sedis Apostolicæ iussa omnia egregiam obseruantiam contestarentur, rogasse, vel præsentem, vel certè, si aliter nequirent; absentes, vt omni eiusmodi vinculo soluerentur. Est verò in citato antea veteri Breuiario, S. Kilianum, cum Romam pergeret, reliquisse in Lemannia S. Gallum febre grauatum, cum verò rediret; S. Columbanum in Italia.

## XI.

## DE S. KILIANI SOCIIS.

**D**Vos fuisse disertim scribit in Martyrologio Beda, eorumque hæc ab Auctore nostro nomina, & officia ponuntur, Colomannus Presbyter, Totnanus Leuita, seu Diaconus: In Sigeberto Anno 697. Dolomannus, & Tholmannus: In Herbipolitano Missali Colonatus, & Totnanus: in Epitaphio, Colonat, & Tothnas. Magna videlicet, sed vsitata in proprijs id genus nominibus, inflexio. Tertium discipulum eidem tribuit Sigebertus Anno 694. & Rhegino loco supra citato, Arnualū quem tamè huc venisse non scribit. Adduntque similiter alij Adananum, Adelinum, & Wil-

fridum, Auctoremque laudant eundem Sigebertum apud quem eos tamen non inuenio. Lexionarius ille Moguntinus liber enumerat Colonatum, Gallonem, Arnuiildem Presbyteros, Totnatum diaconum, septemque alios.

## XII.

QVA LINGVA FRANCIS NOSTRIS  
PRÆDICARIT S. KILIANVS.



A ipsa quatum Franci utebantur. *Tantam*, inquit Auctor, *gratia ei dominus contulerat, vt breui tempore gentis idioma perdisceret, & eis ipsorū lingua, veritatis semina iactaret.* pergitq; narrare, quemadmodū magna in eo Eloquentiæ vis, sermonisq; facundia fuerit. Lingua verò erat Germanica, vt ex Ottone, & Viterbiensi suprā intellectum. Eius cognitionem, & facultatem, non Apostolorum instar, diuinitus consecutus est S. Kilianus. sed studio, & labore, ita tamen, vt breui tempore, plusquam alius quispiam profecerit. quia cælesti quodam concursu Deus eius mentem, memoriam, & linguam illustrabat, confirmabat, conformabatque. Accessit Scoticæ, Anglicæ, Germanicæq; linguarum affinitas. Nam quæ apud Saxones, & Westphalos hodie adhuc retinetur, ea tū ferè tota in Germania dominabatur, vt ex vetustis diplomatibus, syngraphis, Etymologijsque patet. Quibus hodie distinguuntur inferiores, superioresque Germani; afflationes, recentiores sunt. Confer verò cū Germanica illa vetere Scoticam, & Anglicā, quā discriminis parum? Sit exempli causa, id vnde diem, Actionesque omnes, cum sanctæ crucis efformatione; Christiani ordimur. In nomine PATRIS, & FILII, & Spiritus sancti. Scoti sic: In the name off the father ye Sone / and the halie gaisf. Angli vero: In the name off the father / andr off the soonne / and off the holye gost. Nos. Im namen des Vatters / vnd des Sone / vnd des heyligen Geists. Neque verò S. Kilianum Hybernum esse oblitus sum, & Hybernicam hodie linguam ab Anglicā ita differre, vt eam Angli non intelligant. Quin & Britannicam veterem à

Ger-

l. 4. c. vlt.  
p. 17. c. 1.

Germanica vetere plurimum distitisse index Beda videtur, cum præter latinum sermonem, qui meditatione scripturarum Gentibus illis omnibus factus esset communis, fuisse tradat linguas in Britannia quatuor, Anglorum, siue Saxonum, Britonum, Scotorum, & Pictorum. Sed erant hæc dialecti tantum aliquæ, cuiusmodi, & hodie plures nostra in Germania, inter vicinos etiam, cernimus. Bedæ ipsius l. de temporib. hæc oratio est. *Veteres Anglicani populi numerauerunt menses suos secundum lunæ cursum, appellantq; lunam monam, & mensem Æonath. Decembrem vocant Æalegmonath; id est, sacrū mensem. Aprilem Æostermonath; id est, Paschalem mensem à Dea quadam, cui Theutonici populi in paganismō sacrificia fecerunt mense Aprili, quæ Æoster appellabatur, sunt verò Germanica hæc omnia. Cū vetere porrò Scotica, seu Hybernica Germanicā valde consensisse, idem eodem loco Beda ostendit. Qui è Scotorum, ait, gente, Rheuda duce, ad Pictos venerunt, vsquē hodie Dalrheudini vocantur. Nam lingua eorum dali partem significat. Partem verò nonne & nos Dail aut Æhail vocamus? Et Scotorum linguam magis ad Germanicam accedere, rursumq; ab Hybernica eandem profectam ait Vaticana Bibliothecæ descriptor diligentissimus F. Angelus Roccha.*

l. i. c. 1.

De dialectis  
f. 309. &  
334.

## XIII.

DE EO, QUI TVM ERAT  
FRANCIÆ DVX.

**D**Vplex huius prouinciæ Dux, & Princeps ab Auctore nostro statuitur. Vnus quando Romam ijt S. Kilianus: alter quando redijt. Et hunc Gosbertum appellat, sicuti & historia S. Burckardi: Beda Iudicem Gosbertum, Sigebertus Gothbertum. Erat verò is sub Regis Francorum potestate, qui tunc fuit Theodoricus, apud quem dignitate præcipua erat Pipinus Grossus, ita vt solo pæne nomine, Rex ipse regnaret, vt aiunt Otto, & Viterbiensis. Vocatur quidem Gozbertus iste in magno manuscripto Breuiario, quod apud S. Bartholomæi Decanum Francofurtensem, virum sanè

l. 2. c. 4.  
Martyr.l. 5. c. 13.  
p. 17.  
Egw. l. i. c. 6.

lau-

*Ios. 13.*  
*Tob. 2.*  
*Iob. 2. in 70*  
*Cent. 7. c. 6.*  
*f. 170.*  
*In Epif. Her.*

laudatissimum, D. Ioannem Latomum vidi; Rex: Sed Regis no-  
 men improprie, pro eo qui cum potestate paulo maiore ciuita-  
 tem quampiam regit, accipitur. quemadmodum multos inter-  
 dum Reges non in valde magna Regione fuisse legimus. *Erat, in-*  
*quit Auctor noster, is princeps magno ingenio præditus, licet gentilitatis*  
*erroribus sædatus.* Huic fratrem fuisse Troanum, qui Mona-  
 sterium ante vastam syluam, quod *Holstirchen bey Ddenwalde*  
 vocatur; condiderit, narrat Valentinus quidam Muntzerus, &  
 ex eo Centuriatores: *Egvvaldus* verò, filium *Hettanum*, cuius  
 filia *Immina* Virgo Sanctissima *Wirceburgensem* arcem *S.*  
*Burckardo* tradiderit, cum fundis, redivisibusque omnibus. *Super-*  
*stes*, inquit *Buschius, erat vnus Gosberti filius Hetanus, qui post patris*  
*mortem, dux Francorum factus, & Religione Christiana feliciter imbutus,*  
*construxit eo ipso in monte magnificum templum in honorem Beatæ Virginis*  
*Mariæ.* Sanguinis necessitudinem inter illum ipsum ducem, & *S.*  
*Kilianum* etiam constituit *Tritemius & Genebrardus.* Sed vn-  
 de quæso acceptam? Quod vero addit, primum eum in Ger-  
 mania Christianum principem fuisse, intelligendum, non de  
 vniuersa Germania, sed de hac nostra Franconia. Cur tandem  
 ipse à seruis interemptus, ipsiusq; iam nominatus filius princi-  
 patu deiectus, dissertat, sub historiæ finem Auctor. *Moguntia-*  
*cense volumen Gotzbertum ait Hetanis senioris filium, Ru-*  
*odis nepotem, qui gladio, suis à seruis, occisus sit. eius verò filium*  
*Hetanum ab orientalium Francorum populis regno eiectum.*

## XIV.

QVINAM IN FRANCIA DII  
 TVM COLERENTVR.


 Rebus à quibusdam suprâ commemoratus  
 fuit, & à *V. Beda*, Dea *Eoster*, ab alijs tres illæ statuæ,  
 quæ, cum *Herbipolitanus* pons exstrueretur, in  
*Mœni* fundo inuentæ, & in *Meridionali* Cancellor-  
 rum latere collocatæ, forum spectant, cum tamen supra ciues,

aue

aut prisco habitu dominos quosdam, nihil haberent. Auctor noster; *Diana*, inquit, *apud ducem illum in summa veneratione habebatur*. quia scilicet vt supra vidimus, his in locis nemora densissima: venatio plurima. & quia vsitatus hic apud Galatas, quos à Germanis haud multū differre, alibi doceo; cultus Plutarcho auctore. Præter eam verò erant, & alia Germanorum numina, Sol, Luna, Vulcanus, Mars, Mercurius, Hercules, Iris, Krodo, nescio qui lucis fontes, procerioresque arbores. Trium priorum meminit Cæsar, reliquos verò ne fama quidem à Germanis acceptos tradit. *sed falsò* inquit doctissimus Lipsius. Nam vt de positis omnibus testimonia proferam; Tacitus in Annalib: *diuersam aic, aciem ab Hermunduris Marti, & Mercurio sacratam*. Et in Germania; *Deorum*, inquit, *maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoq; hostijs litare, fas habent. Herculem, ac Martem concessis animalibus placant. Pars Sueuorum, & Isidi sacrificat*. De Mercurio valdè à Germanis culto testatur Lucanus, eumq; Theutatem vocatum ostendit Hefumq; alium ei coniungit.

*Et quibus immitis placatur sanguine diro  
Theuates, horrensq; foris altaribus Hesus:*

Et Paulus Diaconus: sed Wodam ab ijs vocatum scribit. Lipsius a Lucro, Wondam, aut Wonstam, quòd & Belgis hodie Mercurij dies *Wonsdag* dicatur: Viterbiensis Godam, quasi per Antonomasiam, Deum, vel Deorum præcipuum. Cum enim Hebræis *Gad* sit bona fortuna, vt, vel in Patriarchæ *Gad* explicando nomine, Genesis ostendit, & alicubi Isaias, adè vt Iouis planetam, qui benignissimum, felicissimumq; astrum putatur, isto nomine afficiant Arabes, prout scribit Abenezra. inde (Nam ab Hebræis in Germanorum sermone docti viri notat plurima) *God*, aut *Gott*, & *gud*, ceugutr. Crantzius; *Subuertit*, ait, *Rex Christianissimus Carolus Madola Regionis, quæ tamen frequentia Saxones ad eum diem coluerant. Krodo nomen erat idolo, quod Saturnum sunt arbitrati, & præterea rei maximè vilis, & execrabilis vocabulum*. Idemq; alibi veterem Saxonum Deum, Iodutem appellat, & Helmoldus l. i. c. 2. Redegastum. De lucis, fontibus, & arboribus de quibus Aga-

lib. de virt.  
mul. in Cam-  
ma que Di-  
ana sacer-  
dos.

l. 6.

In Taciti  
Germ.

l. 13.

Gyrald synt.  
9.

l. 1.

l. c.

p. 17.

Genes. 30.

v. 11.

Is. 65. v. 11.

l. 1. Metr. c. 3.

l. 6. c. 7.

l. 1. de laud.

Stilic.

thias suprâ; hæc Tacitus. Cæterum nec cohibere parietibus Deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, Deorumq; nominibus appellant secretū illud, quod sola reuerentia vident. Auspicia sortesq; vt qui maxime obseruant.

Claudianus. *Vt procul Hercyniæ per vasta silentia syluæ  
Venari tuto liceat, lucosq; vetusta  
Religione cruces, & robora numinis instar  
Barbarici, nostræ feriant impune secures,*

l. 1.

S. Bonifacij historia, cum de Altsaxonibus plura dixisset, pergit. *Alij lignis, & fontibus clam, & palam sacrificabant: Alij aruspicia, diuinationes, præstigias, incantationes sectabantur. Pleriq; alijs nefandis sacrilegij erant addicti. Pauci vero in via veritatis, quam semel didicerant, persistebant, quorum quidem consilio, arborem quandam miræ vastitatis, quam prisca voce Iouis Arborem, seu vt ait l. c. Paulus Diaconus, Sanctiuum, nuncupabant, in loco qui Geismere dicitur, seruis Dei ipsi astantibus exscindere tentauit S. Bonifacius. Quam stultissimam superstitionem ipsi etiam Ethnici damnarunt Seneca, Plinius, Tyrius Maximus.*

Ep. 41.

l. 1. 6. 7.

## XV.

CVR RESVRRECTIONIS DOMINICÆ  
TEMPORE BAPTIZATVS  
FRANCONIÆ DVX.



Cclesia olim, sed maxime posteaquã Tyrannis, hostibusq; suis deiectis, augustum caput extulit, ad sacri baptismi, religionisq; dignitatem pertinere iudicauit, vt nisi si aliud, vel necessitas, vel casus aliquis flagitaret; adultiores Catechumeni, eo præterquam Paschatis aut Pentecostes tempore, non initiarentur, prout legere est in Siricio, Leone, Gregorio II. Hieronymo, Augustino, & Beda. Accesserunt & Epiphania, de quibus Sophronius: Veterisq; moris supersunt hodie vestigia in Sabbati magni, vigiliæq; Pentecostes precibus, & cæremonijs, adeoq; in

Ep. 1. 6. 2.

Ep. 4. 80.

vit S. Bonif.

contra Ioh:

de cura pro

mort: 12.

l. 1. bist. 20.

tota

tota Hebdomade Paschali. Hinc enim & sequens Dominica, nomen, *Quasimodo*, ab exhortatione, quæ recens baptizatis ex D. Petro fit; mutuata est, itemq; ab Albis vestibus, quas ut apud Areopagitam, Cyrillum, Ambrosium, & Augustinum est; ijdem in Baptismo sumptas die illo exuebant: simulq; Romæ quidem, antiquissimo ritu, quemadmodum præfatione in Syriacum testamentum admonet Widmanstadius; cereas, imagunculas accipiebant, quibus, ab impressa effigie, nomen, **AGNVS DEI**. Quin & eadem Dominica **NOVA** vocatur in Syriaco testamento i. Petri cap. i. & à D. Greg. Nazianzeno, qui & eius nominis causam dat; oratione de noua dominica.

*Prati 214.  
215.  
ep. l. c. 2.*

## XVI.

DE FRANCIAE DVCIS VXORE,  
QVÆNAM, ET AN VIVENTIS  
FRATRIS VXOR?

**V**ernerus Scellam nuncupat, Giselam aliqui, Sigebertus Geilanam, Auctor noster Geilam, quæ *pro Gentilitatis ritu*, inquit, *fratri ipsius ducis, matrimonij iure, fuerat copulata*. Quærunto verò interdum aliqui, vixeritne ad huc iste frater, an mortuus iam esset. Comparatur enim ab Auctore S. Kilianus cum Iohanne Baptista, qui viuentis adhuc fratris vxorem in Herode damnarat. *Iohannes*, inquit, *& Kilianus qui nuptias illicitas reprehenderunt, foeminea virulentia mortem perpepsi sunt*. At ne apud Gentiles quidem, nisi forte barbarissimos, de quibus Strabo, superstitis fratris coniugem accipere fas fuit, & fratrem istum in viuis tum haud fuisse satis Auctor iusnuat, dum particulam, **QVONDAM**, apposuit, eo prorsus loquendi modo, quo eadem in re vsus est Imperator. Mos verò ducendarum, quas fratres reliquissent, viduarum, vix Romæ vnquam fuit, ut in vno diuite Crasso Plutarchus ostendit; Crebrior apud Ægyptios, Zenone Imperatore teste: apud alios etiam de qui-

*Fascic. temp.  
anno. 694.  
Pantal. l. c.*

*l. vlt. c. de  
incest.*

l. licet.  
c. eod. t.

l. 1. Metrop.  
16.

t. 40.

t. 8.

l. 5. t. 2.

bus in Theodosij Codice, Constantinus; *Licetum veteres crediderunt, nuptijs fratris solutis, ducere fratris uxorem*: apud Germanos verò in primis, aded, vt non multò post S. Kiliani tempora, adhuc vigeret. Cum enim quemadmodum ab hac nostra Wirceburgensi Ecclesia Paderbornensis Episcopus accepisset, manifestum faceret Crantzius, subiungit. *Erat tunc in ea Meinulphus Clericus, quem pro nobilitate generis, ipse Carolus M. de sacro fonte leuauit. Matrem habuit Wichtrud, speciolam moribus & vultu fœminam, quam quia marito defuncto, frater eius (mariti) contra legem Christianam, uxorem improbè petebat, Rex illam in singularem suscepit protectionem, & vim stupri cohibuit. S. verò Bonifacius ad Zachariam Pontificem de Clemente Scoto hæretico: Iudaismum, ait, introducens, iustum iudicat esse Christiano, vt si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Confirmant eandem consuetudinem, quæ contra ipsam latæ sunt, leges Alemannorum, Baiuoriarum, Francorum. Et vero Moguntinum lectionarium; Gotzbertus dux in matrimonio, inquit, habuit uxorem fratris sui, sicut antiquitus consuetudo erat. Erat ergo mortui fratris vxor Geilana hæc, & S. Kilianus cum S. Iohanne Baptista, quoad incestarum nuptiarum accusationem optimè confertur, licet aliter, & aliter incestæ illæ fuerint.*

## XVII.

### AN S. KILIANVS FRATRIS MORTVI UXOREM IN BAPTIZANDO DVCE TOLERARE POTVERIT?

*Vbi contra Calvinum & Bezam dissertiuncula.*

**S**I cum mortui fratris vidua connubium, plana, claraq; naturæ lex vetaret, tolerare sanctus nec potuisset, nec debuisset. Fuissent enim lege ista Gentes omnes deuinctæ; neq; in ea quidquam relaxandi, aut dispensandi potestatem homo habuisset. Sin vero sola lex, quæ ab aliquo lata, positaq; fuisset; causæ esse plures potuerunt,

cur

cur illud sanctus diffimulare, permittere, ac tolerare posset, ut si ea lex nunquam gentibus istis promulgata, & exposita fuisset: Si eius obseruatione maius, magisque necessarium bonum impediretur. Et constat quidem, fuisse istiusmodi matrimonia legibus pluribus prohibita, tam (a) sacris quàm (b) ciuilibus. Sed ad eas an naturæ quæpiã lex accesserit, vel ante eas potius fuerit; dispi-ciendum. Afferit sanè in Leuiticum Caluinus, & ferè Beza (c) libro de Repudijs, & diuortijs. Sed hoc si esset, contrariam Deus legem nunquã tulisset. Tulit verò in (b) Deuteronomio, dum ait. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex ijs absq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater eius & suscitabit semen fratris sui.* Sunt verba hæc minimè profectò, vel obscura, vel ambigua. & historia quam de Alexandri mortui vxore, quæ liberos ex illo cū edidisset; eius tamen fratri Archelao nupserrat; refert l. 17. c. vlt. Iosephus; illustrari possunt. duo tamen quæ responderi queant occurrunt; quorum alterum à Caluino iam responsum est. Ait enim fratris, hac in lege, nomine, non fratres germanos, sed ex Hebræorum more, consanguineos duntaxat, intelligi, & quidem eos quorum nuptiæ non sunt interdictæ. Verum tanti magistri, vel expositionem, vel deprauationem euer-tūt. (quemadmodum etiã agnoscit indicato libro Beza) ista quatuor. Primum, omnes Hebrææ linguæ periti affirmant, & exemplis quoq; manifestis confirmant, verbum, *iabam*, proprie de læuiro, vel glorie, sorore, vel fratria dici. quod apud S. Matthæum verbo *ἑτεροψύχων* expressum est. Licet ergo, ut ait in Pagninum Mercerus; lex ista ad alios etiam consanguineos consuetudine quadam prolata, & ampliata sit; non rectè tamen ij excluduntur, de quibus propriè legis verba loquuntur; læuiri. Secundum; ex diametro contra perspicuam naturæ legem peccasset Patriarcha Iudas, dum vxorem eandem, vno fratrum mortuo, alteri dat. Est, tertio, prorsus absurdum, illam Christo positam quæstionem de 7. fratribus, qui vxorem vnã, alij post alios, habuerunt, ita interpretari, ut ij tantummodo cognati fuerint, & quidem ijs gradibus, intra quos legibus liceret, vnã, eandemq; mulierẽ ducere. Quarto, verba illa Noëmi suas ad nurus, nonne

(a) *Leuit. 18. can. Ap. 19. Conc. Neo-cæs. c. 2. c. de propinquis.*

*c. Progeniem alijsq; seq. 35. q. 2. c. vlt. ex. de diuor.*

*Basil. ad Diod.*

(b) *L. fr̄is & l. pen. & vlt. c. de inc. nup.*

*Theod. l. 3. c. 1. 12.*

*Caius l. inst. t. 4.*

*Leges Alem. Bai. Fran.*

*suprà.*

(c) *à f. 50. ad 59.*

(d) *c. 25. c. 22.*

*Gen. 38.*

*Ruth. 1.*

Matt. 19.

v. 7. 8. 9. 10.

germanos fratres clarissimè indicant? *Reuertimini filia mi. Cur venitis mecum? Num ultra habebis filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?* Fatetur sanè Beza: & hanc Deuteronomij legem, illius quæ in Leuitico lata est, exceptionem esse vult. Ego, etsi esse interpretationem dicere mallet, de eo tamen haud pugno; & alterum, quod alicui forte in mentem respondere veniat, ostendo. Videri enim possit non lex, sed, quemadmodum de Repudij libello certum; permissio tantum aliqua propter Iudæorum duritiam. At hominum duritia contrarium potius malebat, cum sæpenumerò leuir aliam potius quam quæ fratris fuisset; vxorem mallet, sibiq; ipsi semen potius quàm fratri suscitare percuperet. Ijs deinde quæ non iubentur, sed conceduntur tantum, nulla imponi pœna consuevit, quæ hoc tamen loco imponitur. Concludo igitur, S. Kilianam in Gentili, nondumq; baptizato duce, matrimonium istud rectè tolerare, ac dissimulare potuisse.

## XVIII.

AN IN BAPTIZATO IAM DV-  
CE VXOREM EANDEM TOLERA-  
RE POTVISSET?

**E**andem ob causam, ad exiguum aliquod tempus, quemadmodum & fecit; tolerare potuit. Semper verò tacere, & Christianos Canones, optimamq; Reipub: legem, numquam patefacere nullo modo debuit. Nam cum fide Christiana debent, & ipsius decreta, viuendiq; instituta induci. magnum Christianis alijs offendiculum gigneretur, si quod alibi culparetur, & plecteretur; id ne verbo quidem in Franconia, vt vitiosum demonstraretur: Si dux tantus, tam pius, à tanto Magistro edoctus, & institutus eam vxorem, quam Christianorum scita improbarent, retineret. Decbat præterea ipsum, post aliquantum baptismi tempus, in Christiana viuendi ratione progressus quam maximos facere: non lacte semper & crustulis, sed solido etiam viriliq; cibo victitare. ideoq;

ideoq; rectissimè hac ad eum oratione, sanctus noster usus est. Fili mi, quem per Euangelium CHRISTO genui, gaudeo valdè profectu fidei tuæ, sed multum mouet me, quod illicitis nuptijs teneris implicatus: nec mediocriter formido, ne à recto itinere tali coniugio retarderis. Legitur enim in sapientissimo Salomone, Qui in vno offendit, multa bona perdit. Iacobo Apostolo illi subscribente, dum ait. Qui totam legem seruauerit, offendit autem in vno factus est omnium reus. Porro in Baptismate innouatur homo, idq; non ex quadam sui parte, sed totus. Vt autem totus innouari possit, nihil pristini erroris retinere debet.

Ecclesi. 9.

c. 2.

## XIX.

QVI SACRI LIBRI SACRIS CVM  
CORPORIBVS DEFOSSI.

**R**rant sacrarum literarum libri, Catecheson, precationum, rituumq; Christianorum, è quibus sacra faciebât, & superest adhuc hodie, in prima vrbe huius æde, sacer Euangelij Codex, quo sanctissimi martyres vsi sunt. Scribunt Centuriatores, & non ita pridem Arnoldus Wion, ab illo vnum contra peregrinos cultus volumen conscriptum. De quo, hac in Ecclesia, neq; legendo, neq; interrogando cognoscere quidquam vsque potui. Leslæus strenuè ipsum hæreticis restitisse affirmat. Sed hoc, etiamsi librum nullum scripserit, fieri potuit. In Maguntiacensi volumine, sic. Illorum capsæ, & crux, & euangelium, aliq; Pontificalia vestimenta, simul cum illis in sepulchro posita sunt.

cent. 7. c. 10.  
2 p. ligni vi.  
ca. c. 35.

## XX.

QVAE BVRGVNDA MARTY-  
RVM CORPORA SEPELIENS.

**R**etaret quis esse gentis hodie non ignotæ, quam à Burgis dictam ait Orosius, fœminam quam-  
piam, sed videtur potius nomen esse proprium. Fuit

l. 7.

enim

c. 12.  
f. 3.

l. 1. Vita Bonifac.

enim & alia inclyta fœmina Burgundofora, cuius res gestas historia S. Columbani, & copiosius in Bedæ operibus Ionas complexus est, quam etiam è Francorum genere fuisse monstrat, dum eius consanguineam Gibitrudin alterit. Hæc enim *nobiles è Francorum genere parentes ambos* habebat. Nostra vero Burgunda fueritne Herbipolitana, an è Scotia, vel Britannia venerit, nihil affirmo. Legimus enim, ex illis partibus, fœminas complures liberalibus disciplinis eruditas, & sanctitate præstantes aduentasse, Cunigildem, Bergitem, Cunitrudem, Teclam, Liobam, Waltpurgem, quæ apud Thuringos, Baioarios, Francosq; nostros Christianæ fidei, morumq; integritatis & virginum disciplinæ perinsignes Magistræ fuerint, Burgundam tamen Herbipolitanam malim fuisse. quæ, si Christiana nondum erat; inter primas, quæ mysterijs nostris iniciarentur; princeps fuerit. Habebat ea curiæ-cellulam iuxta oratorium sanctorum, vt habet in S. Kiliani Octaua vetus quoddam Breuiarium, cuius folia tantum aliquot pergamena inueni. cum in libris hæctenus editis vox illa, *Curia*, non inueniatur.

## XXI.

DE SANCTI IAM OCCISI  
MIRACVLIS.

**B**eda in Martyrologio de sanctis nostris, *ob veritatis, ait, confessionem, sub quodam Iudice Gosberto trucidati sunt, & multis postea signis veri CHRISTI martyres esse claruerunt.* Auctor noster duo tantum refert, alij alia. Vnum de brutis animantibus, quæ sacrorum corporum reliquijs, cum, obscæno in equili, contemptè defossa, vilibusq; plancis, seu asseribus obtecta illa essent; honorem habuerunt. Alterum de diuina in eos qui mortem intulerunt vindicta, qui sunt, Geilana, eiusq; crudelitatis administri & carnifices, quos Genebrardus, ait, fuisse Gosberti ducis cognatos. Ego vero minimè arbitror. cum historia homines fuisse narret, quos sola  
mulieris

fatetur Cen-  
turiatores  
cent. 7. c. 3.  
f. 60. & 66.  
& simile est  
in S. Iuentij  
historia. c. 17.  
e. 7. Sur.

mulieris merces ad facinus impulerit. &, omnibus in picturis, videamus eos, tanquam viliora capita, pingi, & ornari. certè vnum, tanquam coquum, alterum tanquam satellitem quempiam. Sed in priori miraculo, quemadmodum quidpiam consputare, commiere, alijsuè sordibus conspurcare, ignominiam, & contemptionem infert; ita, eo in loco, vbi humati sancti sunt, excrementa ista continere, neq; quamuis aliqua flagitet necessitas, effundere, honoris certè, laudationisq; genus quoddam est. Hinc enim furiosum quendam vituperans Horatius, quærit

in Arte.

— utrum

*Minxerit in patrios cineres, aut triste bidental  
Mouerit incestus.*

Et Pythagoræ symbolum erat ἀωνυχίσμασι καὶ κερταῖς μὴ ἐπιβάειν μηδ' ἐπίσασθαι. Rursumq; ex iplo, vt videtur Hesiodo; πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένον μὴ ὀμιχέειν. Tantum quæritur, quonam modo equi, ratione nulla præditi, eo sanctitatis sensu affici potuerint, vt quod naturæ alioquin impulsu fecisset, haud fecerint? Respondeo. eodem illo modo hi neq; strigarunt, neq; fimi quidquã deiecerunt, quo veneratus olim est coruus Eliam, leones Daniele, vacca arcam, vipera S. Paulum, ignis ipse collocatus in fornace pueros, Ægyptiæ rana, senipes, cynomyæ, locusta, ac tenebræ filios Israel, vel sua in Gofena, vel alibi positos. facta enim hæc omnia non naturali, sed supernaturali, & mirabili Dei O. M. auxilio. quod, duobus modis, ad huiusmodi bestiarum, rerumq; inanimarum miracula concurrat. Nam, eo ipso, ad sanctissimarum rerum cultum, & venerationem, vel agunt ipsæ quippiam, quod naturaliter alioquin non agerent, vel non agunt, quod alioquin agerent. Vtrumq; genus in exemplis iam enumeratis apparet, adeoq; in sexcentis alijs, quæ sanctorum historiæ apud S. Athanasium, D. Hieronymum, Theodoretum, Sophronium, aliosq; grauissimos Auctores; explicarunt. Ex D. Augustino vnicum proponam. *Feris, ait, & canibus* s. 13. de factis. *decepta* (Daciani Iudicis Ethnici) *furoris superbia, absumendum* (S. Vincentium, mortuum martyrem) *proijci mandat licitoribus, vt tali*

l. oper.

Vide Strab.

l. 15

Agathiã, cl.

Alex in Pro-

trep. de

Persis

Passu eorum, impleret ventrem, quorum ipse gerebat mentem. Sed vt diuinis excrescentibus beneficijs maioris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur Coruus, avis inimica cadaueribus, expositas corporis dapes seruatur a ieiuna. Qui vt cœlitus se designatum custodem ostenderet, aduentantes reliquas aues, eminus, non segni impetu perturbabat. Inter quas immanem quoq; lupū propius accedentem, veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia at- taminare præsumeret, pennis, & alis diuerberans procul abegit. Sed ille, quod non tam ad inferendam venisset iniuriam, quam ad augendam miraculi pompam, quadam sui habitudine stupidus indicabat. O impudens furor, & stulta insania? Coruus obsequitur: Lupus veneratur: Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuetacta bestialis feritas satagebat protegere. Quemadmodum verò sancti huius Vincentij corpus, & coruus, & lupus venerati sunt, ne, quod auidissimis alioqui faucibus fecissent, id vel morso minimo attingerent, ita & iumenta hæc nostra S. Kiliani, & sociorum subiectas, occultatasq; reliquias, ne minimo quodam vrinæ, aut excrementorum aliorum, à quibus nunquam abstinuissent; egestu conspurcârunt. Deus enim vel ne cibi, aut potionis reliquiæ ullæ superuacaneæ redundarent, cauit, vel suum, ne quid egerere possent, ne uè suis in conceptaculis retentæ feces nocerent; concursum subduxit, vel certè vt earum in aerem, aliud uè aliquod corpus resolutio prius fieret, quam egerendi necessitas adesset, effecit. Neq; enim trium istorum verbum vllum apud Deum impossibile. Sex verò alia miraculorum genera, in Burckardinae historiæ commentario leguntur.

Luc 1.

l. 2. c. 2.

I. Fragrantia sanctorum corporum, dum effoderentur admirabilis.

II. Eorum, quæ cum ipsis defossa fuerant, vestimentorum, & librorum integritas.

III. Tanta sanitarum, & miraculorum variorum copia, vt in fide nutantes valde confirmarentur.

ib. c. 7.

IIII. Diuina candelarum trium ardentium visio, qua locus, vbi recondenda illa forent; indicabatur.

ib. c. 7.

l. 1. c. 9.

V. Ad eorum sepulchra, seu, vt Auctor loquitur; ad tumbas,

aut

aut confessiones, creberrima cæcorum, surdorum, claudorum, leproforum, ægrorumq; curatio.

VI. quod S. Bonifacii auctoritate commendatum prout ipsum ipse Francis quondam nostris retulit; audiamus; *Primus, ait, fundator vestræ fidei KILIANVS, ab Apostolica vobis pastoralitate transmissus, fidem quam verbis docuit, hoc ipso in loco martyrii testimonio compleuit. Ecce id ipsum presentis tumuli loquitur confessio, vbi ad eius, sociorumq; eius corpora, per sanitates, & miracula, credulitatis vestræ exercetur, die, noctuq; confirmatio. Hæc mihi primum gratia CHRISTI, per quendam fratrem nostrum innotescere voluit, Adelhelmum scilicet presbyterum, qui, lumen oculorum Dei iudicio sibi ablatum, hic iuxta glebas martyrii, meritis eorundem recepit. Deinde numerosis tanta sanctitudo signis in nostra Diocesi manifestata, visa est tam mihi, quam cunctis circumquaq; fratribus nostris non esse negligenda. Idem, & à Sigeberto commemoratur, & à Breuiario illo Pergameno, de quo supra. sed ab ijs presbyter ille Atalongus vocatur. multasq; circumstantias persequitur idem Breuiarium; venisse scilicet hunc Presbyterum cum S. Gertrude Karelburgum, vbi illa B. Virgini monasterium construxerat: audijsse à puerulis, quos litteras primas docebat, & à Carelburgensibus, de sancti nostri miraculis: orasse vt, Venerabilis martyris intercessione, sibi Dominus amissum lumen redderet: sicq; mirabiliter pristinam videndi facultatem recuperasse. Ad ista vero miracula respicit, quod postea ponetur; Epiraphium.*

ib. l. i. c. 9.

anno 746.

## XXII.

AN PRIMVS HERBIPOLITANORVM  
EPISCOPVS S. KILIANVS?

. Burckardum primum vocant Lambertus, Marianus, Breuiarium Pergamenum, alijq; Codices. Kiliano tamen eam laudem vendicandam ostendit Auctor. *Consensu, ait, totius vrbis, beatissimum virum Kilianum in præsulatus officio constituit Conon Pontifex quo & Chrisma conficere, & Ecclesias dedicare, & sacros ordines conferre irreprehensibiliter va-*

l. 1. c. 9.

leret. Similiter etiam, cum S. Burckardum in Episcopali hac sede constituit, loquitur S. Bonifacius, omnesq; in templis, locis, operibusq; omnibus statua, imagines, & sigilla S. Kilianum Pontificem demonstrant. Causa tamen, cur S. Burckardus primus interdum vocetur, duplex est. Vna. quia ab eius Episcopatu cœpit Episcopalis dignitas, & sedes Herbipoli fixa, & constituta esse cum S. Kilianus ad conuertendi tantum populi vtilitatem, & suscepti muneris functionem Episcopus factus fuisset, non vt Herbipoli thronum, quem successores aliqui tenerent; constitueret, prout S. Burckardus, Pontificis Maximi auctoritate, postmodum fecit. Altera, quia, dum plura in aliquem honoris nomina, & tituli conueniunt; is ferè qui præcipuus, explicari solet. Cum igitur, & Episcopus & Martyr S. Kilianus sit, martyrij potiùs, quam Episcopatus cognomento celebratur.

l. 1. c. 8. &  
10.

## XXIII.

## VERSVS EPITYMBII.



Xtat bellum quoddam, & vtile de Sanctis nostris hexastichon.

*Hi sunt, Herbipolis, qui Te docuere, Magistri  
Qua verum coleres religionem Deum.  
Impia quos tandem insit Geilana necari,  
Celauitq; sub hunc corpora cæsa locum,  
Ne turpi, sine laude, situ defossa iacerent  
Corpora, Burckardus sub monumenta locat.*

Catal. Epif.  
Germ. l. de  
sacris. Miss  
Martyrol. d.  
7. Iun.

l. de viris il  
lust. p. 1. f  
238.

Sed triplex de ijs error vagatur. Primus. quem diligentissimo, doctissimoque Demochari Caspar Buschius, alijs quibusdã Demochares obtulit, esse versus hos. in ipsa sepulchrali crypta inscriptos, hætenusque ibidem legi. At vero ibi non sunt, sed in vestibulo capitularis loci, qui Noui Monasterij templo quidem cohæret, in ædificiorum tamen parte superiore, ad septentrionale cryptæ latus. Alter Henrici Pantaleonis, & qui eum

impru.

imprudens secutus videtur; Arnoldi Wion; eorum versuum Auctorem esse S. Burckardum. Fuit sanè S. Bonifacius Poëta non malus, vt ex ipsius versibus pluribus apparet: Burckardum verò doctissimum fuisse non inficior, Poëtici tamen nihil in eo noto. Et verò versus isti non priscum illum Ecclesiasticum, & temporibus illis vsitatum stylum referunt, sed nostri potius sæculi elegantiam, & venustatem. Auctorem verò tradit in suis Monasterij noui Antiquitatibus Reuerendus noui eiusdè Monasterij Decanus D. Ioan: Gantzhornius, D. Engelhardum Funkium Decretorum doctorem. Tertius error ex secundo isto nascitur; peruetustos esse versus, cum tamen eorum auctor Engelhardus, non nisi Anno Domini 1513. Collegij eiusdem Decanus fuerit. Est verò in lapidea illius cryptæ tabula, iuxta puteum, ad Occidentem, Epitaphium, hoc, quod, quamuis rudiore temporum illorum Minerua, veritatem tamen, & rem simpliciter ipsam proponit.

2. p. ligni  
Vit.

*Annis sexcentis, octogenisq; nouenis  
Istic Kyllenam scimus fontis prope venam.  
Et Colonatum necnon Tothnang; beatum  
Ob saluatorem proprium sudisse cruorem.  
Hinc fuit, est, & erit salus illi, qui pie quærit.  
Est cæcus, mutus, claudus, surdusq; solutus.  
Septingentesimo, quinquagesimoq; secundo  
A Bonifacio Burckardo consociato  
Hi sunt sublatis, ritè quoq; Canonizati.  
Hos pete deuotè, qui sint oramine pro te.  
Septingentesimo, nonagesimo quoq; primo  
Burckardus moritur, corpusq; suum sepelitur.  
Iuxta sanctorum tumulum, ceu scribitur, horum  
Per Megengaudum successorem reuerendum.*

Est & tabella alia lignea, in qua versus alij tres: sed hisce similes, & in quibus verbum primum excidit.

ALTERVM NOTATIO-  
NVM GENVS, DOGMATICVM DE  
IIS QVÆ AD FIDEM, BONOSQVÆ  
MORES FACIUNT.

## I.

QVAM ANTIQVA HERBIPOLI  
LI FIDES.

*Epist. ad  
Pammach.*

*l. de preser.*

**C**œpisse Christi Domini fidem Herbipoli ante annos 910. constat, si ex Domini annis 1597. subducas eos 687. quibus Roma S. Kilianus reuertit, & Episcopus constitutus fidem illam prædicauit, ita vt contra nostri sæculi Neoterizontas hæreticos Franci nostri Hieronymianum illud meritissimò vsurpare possint. *Cur post 900. annos docere nos nitimini, quod ante nesciuimus. Vsq; in hanc diem, sine vestra doctrina, Christiana Francia fuit. Et illud Tertullianicum. Qui estis vos? ò Luthere, Caluine, Zvinglie, Schvvenckfeldie; unde, & quando venistis? vbi tam diu latuistis?*

## II.

QVALIS AB INITIO HERBIPOLI,  
TOTAQVÆ IN FRANCIA FIDES FVERIT.

*l. de vi illust.  
Germ. p. 1. f.  
238.*

*cent. 7. c. 3.*

**H**abet primo ipsosmet Nouatores audire. S. Kilianus, inquit Henricus Pantaleon; *doctissimus CHRISTI præco plurimos homines in vera CHRISTI doctrina instituit. rursamq; de poste. S. Martyr cum alijs sanctis præconibus ab ingrato mundo mercedem retulit. Centuriatores, Apud Ostrofrancos, aiunt, Chilianus eiusq; socij Dolomanus, & Tholmānus quorum FIDELI opera dux Herbipolensis cum TORO ducatu CHRISTI fidem edoctus est; trucidati seruntur. Occasus eius rei fuit, quòd subornauit*

*Geilana*

*Geilana sicarios, qui pios viros clam è medio sustulerunt. eosdemq; ijdem postea inter synceros doctores numerant. Ita vt dicere Franconibus liceat. Ecce, ò Lutherani, fatemini Kilianum, & socios fuisse sanctos, pios, syncerosq; doctores. fatemini eos in vera CHRISTI doctrina maiores nostros instituisse. & si negaretis, tanta illa miraculorum vis, quæ ipsi ediderunt, vos non secus, quam eos, qui tùm viuebant, Idololatrias; argueret. Sinite igitur, obsecramus, horum nos fidem sequi: eorum insistere vestigijs: à vestris nouationibus abhorrere. Sed iam distinctius, magisq; speciatim, quænam ab initio fides, in Franconia nostra fuerit; inspiciamus. idq; nota triplici.*

6. 7.

PRIMA NOTA VETERIS IN FRANCONIA FIDEI.



Vmitur ea ex sancti ipsius vita priuata. Nam fuit, l. c. c. 10.

I. Monachus. vti etiam inuiti scribunt Centuriatores. Monastica verò vita quid apud hodiernos Nouantes execrabilius?

II. Presbyter. & quidem ita, vt à Diacono Totnano distingueretur.

III. Factus Episcopus, vt potestatis plus quam antea, etiam cum Presbyter esset; consequeretur.

IIII. Ad presbyteratum, per Ecclesiasticos gradus ascendit, quemadmodum & S. Burckardus, *per omnes*, inquit Egvvaldus, *gradus Ecclesiasticos ad Episcopatus honorem Canonicè prouectus est.* non vt hodierni prædicantes solo nobilis vnius, aut schulteti verbo. Illud verò quod dixi, *omnes*, è manuscriptis affero.

V. In Monasterio, vigilijs & orationibus vitam egit, & his quidem ea ipsa nocte, qua sacro affectus martyrio est; vacabat.

Secunda

SECUNDA NOTA VETERIS IN  
FRANCONIA FIDEI.

**E** Sancti gestis publicis accipitur.

loc. cit.

cent. 7. c. 2.  
t. 31.

l. 1. Bueck. 9.

I. Ad prædicandam fidem has in oras à Romano Pontifice missus est. Caspar Buschius à Benedicto II in Germaniam missum docet, ad eam ab Arianismo, & Gentilitate repurgandam. *Vt Euangelium de peccatorum remissione in interioribus Germaniæ locis prædicaret, Benedictus secundus, & Conon Romanæ Ecclesiæ præfules, inquit Pantaleon, sedulo adhortabantur. Et Centuriatorum verba sunt, Scribitur de Origine Francorum, quod Conon Papa S. Kilianum in Germaniam miserit, qui superioris Franciæ populos circa Herbipolim ad Christianam fidem conuerterit. Et postea. Sub finem huius sæculi, Iustiniano regnante, plurimæ accessiones ad Ecclesiam factæ sunt. Hoc tempore Conon Papa Chilianum in Germaniam misisse, legitur. a quo superioris Franciæ populus ad fidem CHRISTI traductus perhibetur. Iam verò supra de hac sancti missione, S. Bonifacium Francis nostris concionantem audiui-  
mus. Primus fundator vestræ fidei Kilianus ab Apostolica vobis Pastoralitate transmissus est.*

II. *Et si zelo prædicandi optimo incitaretur, maximaq; rei huius causa iam itinera sanctus confecisset, oportunitatemq; summam haberet; aggredi tamè opus optimum noluit, nisi à Romano Pontifice, tanquam CHRISTI D. Vicario, diuiq; Petri successore potestatem accepisset. A verbo prædicationis, inquit A. abstinent, donec se Romano Pontifici presentaret, vt apud Romanam sedem, & integrum Christianæ religionis dogma, & prædicandi licentiam acciperet. Rursumque. Vir sanctissimus, coram Primate Apostolicæ sedis, eiusdemq; ministris, vt ipsi semina diuini verbi Gentibus erogare liceret, studio diuini amoris expetiuit.*

III. *Ecclesiasticas Censuras, etiam cum ijs, aut nihil, aut vix, vt supra ostensum; irretiretur; fecit maximi. adeo vt, earum causa, Romam petierit, longè aliter quam Lutherus, alijque hæretici, qui vel nominatim excommunicati rident, & aspernantur.*

4. Epi-

IIII. *Episcopus factus est, vt Chrisma conficere, templorum dedicationes peragere, sacros ordines conferre, & quidē inquit A. irreprehensibiliter valeret. At horum hæretici nihil aut faciunt, aut irreprehensibiliter faciunt. Qua enim potestate, qui Episcopi non sunt, sacris ordinibus initiēt? Sed de hoc, in quadam contra Doctorem Lutheri potestatem oratione, dixi vberius.*

V. *Fuit Sacrorum Canonum, Ecclesiæq; rituum studiosissimus. qui non nisi, præscripto Paschatis tempore, Francum ducem baptizare voluit, quiq; mori maluit, quam Ecclesiasticam, qua ducis cum mortui vxore connubium vetabatur; legem reticere.*

VI. *Rursum, vt à coniugio male inito ducem reuocaret, mortem oppetijt. Nouantes hodierni, quotquot possunt, Ecclesiasticos, Monachos, & Sanctimoniales, ad impias, sacrilegasque libidines quas honesto coniugij velo mendacissimè obtegunt; inflammant, & exhortantur.*

VII. *Vestimenta sacra, cum quibus diuina perageret officia, secum habebat. Nouatorum pleriq; aut officia diuina nulla peragunt, aut veste omnino laica, & prophana, aut, si quam sacram adhuc retinent; multo maiorem tamen partem diripiunt, lacerant, prophanant, adeò quod inter Christianos dictu horrendum; inuenti sint, qui suis in femoralibus, & narium integumentis sacrarum adhuc casularum cruces haberent.*

VIII. *Ipsimet hæretici testantur, Romanum eum totum fuisse. Pantaleon. Erant quidem, ait, & alij Ecclesiarum ministri in quibusdam Franconia (non nisi de Francia generatim accepta id verum, vt supra dictum) locis, qui, & ipsi veram rationem salutis proponebant. Verum Kilianus in quibusdam ab ijs dissensit, atq; plerq; ad Romani Pontificis Auctoritatem referre cepit. Vnde magnam sibi inuidiam conflauit. Hæreticos verò, improbosq; à quibus dissensit; fuisse, satis ex Bonifaciana historia colligitur. Centuriatores, Cum videret Kilianus Gosbertum præfectum, à nouis cæremonijs Papisticis abhorreere (ita Christiana dogmata, & sacra isti vocant) abiit Romam, & impetrauit à Conone, vt Episcopus VVirceburgensis ordinaretur. Et clarissimis postea verbis, in quibus tamen hæretica valde frons & bilis apparet. Colonatus, & Totnanus Scoti natione fuerunt, & monachi, Kiliani discipuli, alter pres-*

L. cit.

Cent. 7.  
c. 10. f. 516.

byter, alter Diaconus factus, ad Herbipolim venientes, conati sunt veterum Ecclesiarum sacras consuetudines in Romanas ceremonias mutare. atq; vt hæ firmiter animis inhaerent, Gentilitias superstitiones, ac falsas opiniones illas fuisse, & has esse veritates irrefragabiles, monitore Pontifice, persuadebant.

TERTIA NOTA VETERIS IN FRAN-  
CONIA FIDEI.



l. 1. c. 5.

X primorum, qui ab ipso instituti sunt Francorum, & eorum, qui ab ijs proximè nati, educatique sunt; religione. Fuit enim vt in Burckardina historia scribitur; hic ouile dominicum, B. Kiliani, sociorumq; eius instantia collectum doctrinis, & exemplis instructum, ac martyrio consecratum. Intueamur ergo.

c. 9.

I. Quanta eorum, in Bonifacio, & Burckardo à Pontifice Romano redeuntibus excipiendis, lætitia, & pietas fuerit. Bene, inquit, venite Patres benedicti à Domino, venite serui Dei excelsi, venite laboratores animarum nostrarum. Augmentate diuini semina verbi à B. Kiliano nobis olim ministrata quò vomere sermonum vestrorum exculta tellus nostrarum mentium, dignos queat ferre fructus fidei bonorum operum. Bonorum, inquam operum. Sola enim tunc fides ad salutem satis non erat.

ibid.

c. 10.

II. Quanta eorum erga Romanam, Apostolicamque sedem deuotio fuerit: quod ad S. Burckardum illis commendandum, ipsa sedis illius auctoritate maxime S. Bonifacius vteretur. En, inquit, nostra sollicitudine vobis, fratres, acquisitum, à Romano, & Apostolica, sede consecratum, atque directum represento Pontificem. necessarium nouellæ fidei vestræ à magistro meo Zacharia mihi commendatum, exhibeo Patrem Vnde & postea Pontificis coram Francorum populo vniuerso litteræ palam recitatae.

ib.

III. Quemadmodum tam multa, quæ Nouantes hodie contem-  
nunt, pie admodum, hilareque susceperint. Commendauit ijs, S. Bonifacius VNIVERSA Ecclesiæ Sacramenta, non duo tantum, vel tria; & quidem ita, vt in ijs dilerte, quæ isti negat, enumerentur. *Christus,*

consecra-

consecrationes, ordinationes, pœnitentiæ, Indulgentiæ. Deinde verò commendauit decimas, oblationes, synodales conuentus, festiuitates, ieiunia, quaslibet Christianitatis obseruationes, & quæ ipsorum Episcopus Burckardus imposuisset, vt ea iuxta Canonum decreta persoluerent, vt ei præcepta tradenti, tanquam de cœlis misso alacriter obedirent, & ad extremum monuit, vt de hisce omnibus in æterna vita, mercedem æternam à iusto iudice, eodemq; pio remuneratore, certissimè sperarent. Quid nostri ad hæc Franci, quid egerunt? quid responderunt? An ista tanquam hominum mandata, tanquam cæremonias verbo Dei aduersas, fidei, conscientiarumque libertati contrarias reiecerunt? In historia certè sequitur. Hæc, multaq; his similia postquam perorauit S. Bonifacius, ilicò vox omnium, quasi vox vna in electionem, & susceptionem tanti Pontificis vnanimiter, concordauit.

III. *Quantas eorum in sacras reliquias amor, & cultus.* Martyrū nostrorū corporibus Herbipolim exornari dixit S. Bonifacius, & Franci reliquias, ad nouæ huius Ecclesiæ ædificationem, & tutelā à Romano Pontifice missas maximi fecerunt. Cumque sacra S. Kiliani, & sociorum pignora, honoris ergò exhumarentur. Illic, ait Burckardina historia, venerandæ sanctorum reliquiæ cum maximo cleri, plebisq; tripudio, de terræ puluere leuantur, ac sericis reuerenter inuolutæ pallijs, manibus sancti præsulis, seretro nuper ad hoc ipsum opus, ornatisimè præparato, membratim componuntur: fitq; denuò populi ingens concursus, & inde constipatæ multitudinis tumultu, tam Episcopi, quam Cleri, quodammodo præpeditur processus. Ambiebat nempe multimodis conatibus popularis ille conuentus, siquis posset manu seretrum tangere, vel transeunti succumbere: siue manibus in cœlum eleuatis, Deo gratias referre, aut è contra flexis poplitibus, seu ceruicibus, quidquam deuotionis CHRISTI martyribus suppliciter impendere. Vox vna resonabat omnium. Gloria in excelsis Deo. Laus Domino nostro IESU CHRISTO, nec non Kyrie eleyson, Christe eleyson, & multa id genus.

V. *Quot, & quanta prædia, opesque nouo huic Episcopatu Francorum illustres & optimates dederint, Deoque per S. Burckardi manus, vt historia loquitur, consecrarint, & S. Kiliano ad ipsas eius reliquias confirmarint.* In ijs verò fuit etiam egregia vrbs huius arx, omnibus cum prædijs, & redditibus ad eam spectantibus, quæ, vt

l. 1. Bur. c. 9.  
c. 8.

l. 2. c. 2.  
vt S. Pauli.  
nus Natali c.

l. 2. c. 3.

c. 4.

e. 6.

infra eadem historia narrat: *sub antiquis olim ducibus arx & caput fuerat totius Orientalis Franciæ.*

ib. e. 4.

VI. *Quantum virginitatis Deo consecrandæ studium, quantaque virginum multitudo, statim extiterit. Gosberti enim ducis, qui Christianam primus fidẽ amplexus est; Neptis Immina, virgo Deo deuota, in Wirceburgensi arce ista, quam, vt ibidem traditur, hæreditatem acceperat, continentissimam cum plerisque voti eiusdem fœminis degebat vitam, & die quodam, hinc S. Burckardum verbis affata est. Clam te, Pater, esse non patiar, quod iam quadraginta, & vno amplius anno (post sancti scilicet Kiliiani mortem, cum paululum adoleuisset; inceperat) Dominum nostrum IESVM CHRISTVM animæ meæ sponsum, cum ancillis meis, quæ se mecum in eius præparant occursum, sub ancipiti carnis, & spiritus certamine, nimis anxie præstolor. Certè videmus in primitiua Ecclesia, vbicunq; CHRISTI IESV Domini nostri fides incepit, ibi simul statim magnum virginitatis Deo deuouendæ desiderium exarsisse. vt longe alium esse Iouinianorum nostrorum spiritum esse necesse sit, quam primorum, omnibus in terris, & nationibus, fidei Christianæ Doctorum fuerit. Sanctus Athanasius, Quis, ait, hominum, vel post mortem, vel in vita Auctor seruandæ virginitatis fuit? ac non contra arbitratus est, eam virtutem præstari non posse? Attamen Saluator, & omnium REX CHRISTVS, tantum valuit in huiusmodi præceptis, vt pueri nondum maturi legum disciplinæ, virginitatem quæ supra leges est, profiteantur. Et verò præclarum extat S. Kiliiani testimonium, dum in sacro illo Euangeliorum Codice, quem ab ipso acceptum, Cathedrali hoc templum, suis in cimelijs, custodit; ascribitur S. Iohannem Euangelistam à nuptijs, CHRISTI Domini vocatu, abductum esse.*

de Incar.  
verbi.l. 1. Burc.  
c. 9.

VII. *& vltimo. Tanta Neophytorum Franconum in Christiana, Catholicaque fide Religio, candor, & ardor tantus fuit, vt sanctissimi duo Antistites, qui eum videbant, & admirabantur, calidas præ gaudio lacrymas funderent, suis illos benedictionibus consignarent: ipseque S. Bonifacius diuino quodam spiritu instinctus, ea ipsa, quæ oculis ipsi iam videmus, vaticinaretur. Felix, inquit, eris amodò VVirceburgum, & inter Germaniæ non ignobilis vrbes.*

& quam-

& quamuis temporibus quarundam ciuitatum postrema habeatis, tamen exornata corporibus martyrum, inferior vltra non habebitis. In numero Trinitatis martyribus tribus fulciris, ad suppletionem tétradis, ecce probitas iam accessit Burckardi Pontificis. Considera considera, ô Herbipolis, & quemadmodum hæcenus religione Catholica retinenda, & excolenda creuisti: ita caue, ne vel deserenda, vel torpidè, negligenterque tractanda decrescas. Caue, ne quæ spiritu capisti; carne consummeris, vti suos, Galatas monet Apostolus. S. Kilianum Magistrum habes, quid tibi cum Lutero, Caluino, Zvvinglio, alijs? Sanctus Kilianus Christianam te fecit, & piam, & religiosam, cur nouam nunc fidem condiscas, nouos, impiosque mores asciscas; *Suademus*, inquit S. Athanasius, *vobis, quod & nobis ipsis suademus, vt traditam fidem retineatis, & auersemini prophana nouitatis verba & idem reliquis præcipiatis.* Rogo vos, fratres, ait, S. Paulus, *vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Ipseque summo è cælo, in quo cum CHRISTO IESU, cœtibusque omnibus æuū degit beatissimum; S. Kilianus eodem cum S. Apostolo ad vos, ô Franci, Franci, clamat. *Licet nos, aut angelus de cælo euangelizeret vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis (eorum, qui se Euangelicos hodie iactant) vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Amen.

Gal. 3:

de incar. V.  
contra Pan-  
lum Sam.  
Rom. 16.

Gal. 1.

## III.

DE IIS, QUAE AD BONOS MO-  
RES FACIUNT.

Via verò, vt supra indicatum est; Catholicae fidei bona etiam opera primi illi Maiores nostri, Christiani iunxerunt, sanctusque Paulus, Christianum populum requirit sectatorem bonorum operum, desigendi nobis omnibus oculi in prima illa tum doctoris, & martyris nostri, tum discipulorum ipsius, maiorum nostrorum, exempla, quæ ex ijs quæ hæcenus dicta sunt, satis perspi-

Tit. 2.

cua. Nam superiores notæ illam in viam nos deducunt, vt quo loco sedes à nobis Apostolica, sacri Canones, Antistites, reliquæ, sacraque; pænè omnia haberi debeant; videamus. Non committam tamen, quin breuem veluti tabellam omni ætati, ordini, sexui delineem. Videant ergo Iuniores.

I. *Quam diligenter liberalibus studijs à prima statim pueritia sanctus Martyr vacarit.*

II. *Quemadmodum, cum literarum incrementis, de vitæ statu optimo cogitarit, seu vt habet Auctor; quemadmodum diligenter veritatis viam indagare cœperit.*

III. *Quomodo nobili prosapia natus cum esset, omnem tamen sæculi pompam, omnes voluptatum illecebras, omnem opum, honorumque vanitatem reliquerit.*

l. 1 Mor. 1. *IIII. Quemadmodum, hæretica in patria natus, hæresin tamen haud imbiberit, quæ sanè laus, vt rara, ita et valde magna est, prout ad Tobixæ initium, docui. cum ille Apostatarum solus fugeret consortia, & pergeret in Ierusalem ad templum Domini. Sicut, ait D. Gregorius, grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse: ita immensi præconiij est inter malos malum non extitisse.*

l. 2 de Ind. conu. *V. Quanto conatu, & alacritate peregrinam linguam didicerit, peregrinis vt populis, in CHRISTI Euangelio, seruire, ac prodesse posset. Cur eandem ob causam, contra hæreticos, hac nostratempestate in Latinam, Græcam, Hebræamque linguam incumbere pigeat? De alijs vide Iosephum à Costa, si libet.*

Videant *secundò seniores.* Et *primò* quidem Episcopi, quodnam suum à S. Kilianoque expressum officium sit, Chrisma scilicet conficere, Altaris Ministros ordinare, sacras ædes consecrare, Dei verbum prædicare, quæ contra diuinam legem, Ecclesiasticosque Canones fiunt, etiam si millies oppetenda mors esset, reprehendere, prudentiam & cautionem magnis in rebus adhibere, fidem, morumque disciplinam à primis Gentium Magistris, & Antistitibus constitutam pro virili, tueri, & conseruare. Vnde rectissimè qui Herbipolitanæ huius Ecclesiæ clauum hodie tenet, IULIUS, dum rationem, per litteras, cuidam daret, cur ad Catholicam fidem, qui hætenus exerrassent, Francos reuocaret,

inter

inter alia, sic scripsit. Apud Ezechielem, cum pastorum Israël's socordiam, & improbitatem, dominus increparet, ea dixit, quæ ne in nos quoque Christianos Episcopos merito cadant, magnopere aduigilandum. Non enim id tantum reprehendit quod infirmum non consolidarint, ægrum non sanarint, confractum non alligarint, sed etiam id quod aberrasset, non conuerterint, quod perisset non reduxerint. Et quo ego meos reuoco? Quo reduco? Non ad aliam sanè fidem quam ad eam, quam omnes, ante hosce forte quinquaginta annos, hac in Franconia Christiani maiores nostri, Christiani Episcopi docuerunt, & tenuerunt. An mihi vitio detur, si quam suo sanguine S. Kilianus, apud Francos, pietatem plantauit, S. Burckardus irrigauit, ego indignus eorum successor eam opinionum varietate, vel obrutam, vel arefactam eruere, & reuocare velim?

Discant deinde ab eodem, & socijs, Presbyteri, sacra diuina quam sæpissime agere, Dei etiam verbo instare, sanctis, pro vniuerso populo, precibus vacare. Itidemque Diaconi.

Discant Tertio Monachi, caduca, & fluxa mundi huius bona omnia vilipendere, gloriæ inanitatē contemnere, ob animarum tantummodo salutem; solitudines, & claustra deserere, longinquas in oras peregrinari.

Discant quarto Principes, Illustres, Optimates, & nobiles à Gosberto, alijsque proceribus, qui ad CHRISTI fidem primi accesserunt; discant inquam, in fidei obsequium, Ecclesiæ doctoribus, & magistratibus obtemperare, vetitos amores defugere, lasciuis mulieribus nimium credulas aures non præbere, in diuinum cultum, Ecclesiæque Ministrorum alimoniam, liberales, & munificos esse.

Discant quinto subditi à primo Francorum populo Christiano in omni Obedientia, & simplicitate Præpositis morem gerere, pietatis actiones consecrari, nullo vnquam precio, ad vllum cum Geilanæ carnificibus, flagitium impelli.

Discant sexto à Burgunda, & Immina, scæminæ, virginesque sacra, pietatis, precatōnis, misericordiæ, perseuerantiæ in bono vitæ instituto insigne studium: Geilanæ impunitatem, & nequitiam perhorrescant.

Discamus

*l. de breuit.  
vita.*

*Discamus deniq, omnes, id quod omni vita discere sapienter admonet Seneca, quemadmodum ad felicem ex hac vita discessum nos comparare debeamus. Fratres, ait S. Kilianus, vigilemus. Cito aderit Dominus, & pulsabit ianuam. Cauendum nobis est, ne nos somno torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus est, ne si forte defecerit, tum incipiamus quærere, quando non poterimus inuenire. Hæc habui lector, quæ in sancti Martyris vitam, hoc tempore, notare. Erratis veniam da, & pro me S. Kilianum ora. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula, sæculorum. Amen.*

*Liber Societatis Jesu Paderbornæ a 1608.*

D. Iohannes de Luterbeche circa annum  
Domini 1350.

*Nos pie Kyll } ena { post mortem duc ad amo } ena  
Ne ladat po } barathri vel seuæ cat }*











B. V.

Dettel

haben

Killa

niesta

N. III

Th  
4875